½ perg. taglio 9

SCRIPTORES LATINI MEDII ÆVI ITALICI

I

HENRICI SEPTIMELLENSIS

ELEGIA

— SIVE DE MISERIA —

Recensuit, præfatus est, glossarium atque indices adiecit

ARISTIDES MARIGO

PATAVII
— Apud A. Draghi —
MCMXXVI

SCRIPTORES LATINI MEDII ÆVI ITALICI
I

HENRICI SEPTIMELLENSIS

ELEGIA

— SIVE DE MISERIA —

Recensuit, præfatus est, glossarium atque indices adiecit

ARISTIDES MARIGO

PATAVII
Apud A. Draghi
MCMXXVI

EDITUM AUCTORITATE ET SUMPTIBUS
R. ACADEMIÆ PATAVINÆ

PATAVII - TYPIS ALOYSII PENADÆ - MCMXXVI

PRÆFATIO

Quamvis HENRICI SEPTIMELLENSIS, poetae XII saeculo exeunte florentis, *Elegiam* ad italici medii aevi latinas litteras cognoscendas potissimum esse eius aetatis monumentum omnes consenserint compluresque studiosi de carmine illo eiusque auctore disceptaverint, post tres viros eruditos (*C. Daumium* a. 1684, *P. Leyserum* a. 1721, *D. M. Mannium* a. 1730) qui illius editiones curaverunt — nec prorsus ad nostrae aetatis studiorum necessitatem idoneas, nec facile nunc reperiendas — neminem eam ad artis criticae normam vulgandam resumpsisse admirationi esse potest. Si quis autem rem bene perspexerit, singularem quamdam difficultatem ab incepto studiosos usque adhuc deterruisse facile intelleget. Nam Henrici carmen per tria saecula diversisque Europae regionibus tam late et effuse est pervulgatum, quippe quod in scholis ad pueros erudiendos explanari consueverit, ut non paucis codicibus manuscriptis nunc notis plures alios, vel parum notos, vel neglectos, vel in miscellaneis operum ad scholas pertinentium inclusos, adiiciendos esse pro certo haberi possit. Huc accedit quod tam multa vel librariorum ludique magistrorum correctionum, vel ex aliis libris recognitionum,

vel interpolationum vestigia indiciaque in lectionibus inveniuntur ut vix certam firmamque editionem constitui posse videatur, nisi autographus ipse aut codex manuscriptus; qui ad autographum aetate et fide proxime accedat, detegatur.

Nec vero magna rei difficultas me effugit; sed tamen pretium operis esse existimavi *Elegiae* editionem, si non omnibus numeris absolutam, fide quidem satis dignam litterarum latinarum medii aevi studiosis praebere. Quod me facturum putavi si omnes Italiae notos codices recognoscerem, cum mihi persuasum esset *Elegiam,* in Italia scriptam primumque pervulgatam, antiquioribus nostris codicibus, quamquam centum fere annis post eius compositionem exarati sint, satis certo et sincero textu traditam esse. Ceterum editioni quae perfectior futura est hanc nec dubio nec minimo subsidio fore confido.

Priusquam vero in *Elegia* recognoscenda quam rationem secutus sim exponam, codices recensebo, quorum de plerisque nihil adhuc scriptum est, eumque ordinem servabo ut quisque fide dignissimus primum locum habeat.

* * *

Ex quindecim, quos ipse inspexi aut viri docti in meum usum contulerunt, quinque codicum fundamento, inter ceteros antiquitate et fide praestantium, editio haec maxime nititur, eosque primae classi addicam; quattuor alii, quamvis correctoris vel interpolatoris operam patefaciant, quoddam subsidium lectionibus conferunt, cum a superioribus vel ab eorum archetypo pendeant, eosque secundae classi addicam; digni qui ad tertiam classem pertinerent ceteri mihi visi sunt, qui non solum a superioribus pendent, sed etiam gravibus mendis et ex arbitrio fictis correctionibus inquinati, mixtae sunt lectionis omnique fere carent fide.

Classis I: M[1]. — CODEX NATION. FLOR. 1180, MAGLIABECHIANUS, membranaceus, mm. 205 × 140 saeculo XIV ineunte scriptus, foliorum 52. F. 1ʳ: *Incipit liber Herigeti | Quomodo sedet*; f. 17ʳ: *Vivus et extinctus te semper amabo sed esset | Viventis melior quam morientis amor;* hi versus *Elegiae,* qui ultimi in ceteris libris leguntur, hic alia paulo recentiore manu adiecti sunt. Inferius priore manu scriptum est: *Explicit liber henrici de septimello villa pratensi.* In foliis 1-10 multas inter lineas glossas, quae latino et italico sermone singula verba interpretantur, tertia minus antiqua manus inseruit; eandem verisimile est *Elegiam* inscite et aperte passim correxisse. Nulla manifesta *Elegiae* divisio, praeter eam quae fit post v. 251, qui grandi prima littera minio picta incipit; alii versus maxime in dialogo grandioribus litteris incipiunt. — *Elegiam* excipiunt (ff. 28-31) *Liber Pamphili et Galathee,* priore eadem manu exaratus, (ff. 32-47) *Summa domini Berengarii cardinalis,* recentiore manu; denique (ff. 48-52) quaedam carmina humanistica.

C. — CODEX CASINENSIS *227 P* (ext. 227-533; int. 762) membranaceus, mm. 210×140 saeculis XIII ex. XIV in. scriptus a Guidello anno MCCLXXXVIII et a magistro Guidone de Corelia in Cantacapia anno MCCCVII, paginarum 292. Continet opuscula varia in scholarum usum, sc. *Catonis Disticha moralia, Aesopicarum LXIII fabularum metricam versionem, Eglogam Theoduli, Prudentii Psychomachiam, Physiologum, Carmen de septem virtutibus, Prudentii de Columba* [*Diptycon*], *S. Bernardi epistolam metricam de contemptu mundi, Librum Faceti, Tractatum Computi solaris et lunaris anni 1284.* — In imo margine paginae 116 legitur: *Incipit liber arrighetti,* manu saeculi XIV; eadem verba in summo margine paginae 117, foliis in margine a conglutinatore resectis, dimidiata leguntur, manu tamen saeculi XIII ex. quae *Elegiam* totam exaravit.

In pag. 148: *Viventis melior quam morientis amor | Explicit henrigi liber hic qui septemelensis | Materiam miseram qui fuit arte sequens.* Et post versus, inferius: *Deo gratias amen. Explicit liber Arrighetti. Qui scripsit scribat semper cum domino vivat | Qui me furatur vel recidatur vel suspendatur amen.* Nonnullae paginae verborum interpretationes inter lineas continent. Nulla manifesta divisio in partes, sed complures versus, cum in dialogo tum ubi (vv. 251, 501, 751) *Elegiae* sententia divisionem expostulat, grandioribus primis litteris incipiunt. Totum codicem descripsit BIBLIOTHECA CASINENSIS IV pp. 221 seqq.

U. — CODEX STROZZI-UGUCCIONI 72, qui in Publico Tabulario Florentino adservatur, membranaceus, mm. 210×150 medio saeculo XIV lucide exaratus, foliorum 20. F. 1ʳ: *Incipit elegia henrici septimellensis.* F. 20ʳ: *Explicit Elegia henrici samariensis.* Multae glossae quae verba interpretantur inter lineas et in margine leguntur. *Elegia* in IV *distinctiones* his rubricis dividitur: ante versum 251, *Explicit prima distinctio incipit secunda*; ante versum 501, *Explicit secunda distinctio incipit tertia*; ante versum 751, *Explicit prima pars tertie distinctionis, incipit secunda.* Distinctionum partes et complures versus, maxime in dialogo, grandibus primis litteris incipiunt.

A. — CODEX AMBROSIANUS *D 14 inf.*, membranaceus, mm. 280×205, foliorum 26, praeter 4 ad custodiam pertinentia, saec. XIV in. decore et lucide exaratus. In f. 1ᵛ custodiae membranaceo, manu saeculi XIV, eadem, ut videtur, quae *Elegiam* totam exaravit, sed exigua illa scriptura, qua versus omissi in margine adiecti sunt: *Libri titulus talis est. Incipit elegia sive miseria Regipti quod idem est quod Henrici,* ceteraque de Henrici vita et carmine, quae inter testimonia

referre mihi visum est. Tres versus sequuntur, fere omnino deleti, in quibus, ut videtur, huius codicis possessorum nomina legebantur. In f. 2^r custodiae chartaceo manu saec. XIX in: ***Henrici Septimellensis Elegiae liber contra fortunam et inconstantiam amicorum scriptus anno 1325.*** Item ***Probae Falconiae centones*** et cet. F. 1^r (3): *Quomodo sedet.* F. 16^v (18): *Viventis maior quam morientis amor.* | *Deo gratias. Amen.* Exigua et recenti scriptura (saec. XVII?) haec adiecta sunt: ***Explicit liber elegie Henrici Septimellensis. Amen*** | ***MCCCXXV die VIII Martii***; et in margine: *ex alio exemplo*: quae omnia scriptor recens adiecisse videtur ut titulum operis testaretur ex alio *Elegiae* exemplari transcriptum. Idem recens scriptor nonnullas nullius pretii varias lectiones in margine adnotavit et post v. 250 duos versus: *Omnia coniurant* et cet. qui in L^2 et in Leyseri editione leguntur. Divisio solum inter versus 250 et 251 apparet; grandibus litteris nonnulli versus in tribus primis foliis passim incipiunt. Quaedam quae ad orthographiam pertinent, maxime litterae *sc* pro *s* saepissime descriptae, librarium Italiae superioris, haud scio an Lombardiae, fuisse indicant. — F. 17^r *Iam dudum temerasse duces.* In fine: ***Explicit virgiliocentonas quem composuit proba falconia uxor Adelphi ad dei et omnium suorum sanctorum laudem.***

Lu. — Codex Lucensis *370 A*, qui in publica bibliotheca adservatur membranaceus, mm. 232 × 170, medio saec. XIV, foliorum 101, miscellanea continens: f. 1-17^r [***Hidelberti Touronensis de mysterio missae***]. — F. 12^v: *Quomodo sedet* Per totum marginem sinistrum *Elegiae* introductio quaedam, maxime moralis et rhetorica. F. 17^r: post carmen: ***Materiam miseriam quam fuit arte sequens*** | ***Hoc opus exegit metrosus philosophus dux*** | ***Ex re nomen habens qui gandolphinus habetur.*** Plurimae in marginibus effusae interpretationes historicae et rhetoricae cum verborum significationibus inter lineas.

Nulla partium divisio. — *Elegiam* excipiunt *Boetii De consolatione philosophiae, S. Prosperi Aquitanici epigrammata, hymni.* Codicem hunc descripsit A. Mancini (*Studi Ital. di Fil. class.* VIII, p. 155).

Classis II: V. — Codex Marcianus. *Mss. lat. cl. VI n. 95,* olim Patavii in monasterio *S. Johannis in Viridario* adservatus, membranaceus, mm. 345×260, foliorum 46. *Elegiae* versus decora ampla scriptura medio saec. XIV exarati sunt cum verborum interpretationibus inter lineas minoribus litteris; eademque minore scriptura sunt rhetoricae et historicae effusae explanationes, quae, intermissis *Elegiae* particulis, passim fere in quaque pagina in eiusque latitudinis spatio interpositae sunt. In f. 1^r eadem minore scriptura quaedam rhetorica *Elegiae* praelectio legitur quae incipit: *Zacheus corporis statura* et cet. F. 1^v, ampla scriptura, *Quomodo sedet*; f. 11^r, ante versum 251, rubrica: *Explicit prima distinctio incipit secunda.*
.i. historia de miseria
F. 38^r *Explicit elegia Henrici Septimellensis.* Omnia una manus exaravit. Elegiam *Carmen de VII virtutibus* excipit. F. 46^v: «Charte XLVIIII in hoc libro. Hunc librum donavit venetiis presbiter et eximius grammatice latine grece et hebraice doctor dominus Petrus de Montagnana Congregationi canonicorum regularium lateranensium Sancti Augustini ita ut tantum sit ad usum dictorum canonicorum in Monasterio S. Johannis in Viridario Padue commorantium». Hunc codicem cum L^1 collatum transcripsit Marquardius Gudius (cod. Guelpherbytanus n. 4544). Correctior et congruentior orthographia (*si* et *ci* sequente vocali *ti* constanter scribuntur, ut *faties, maties, fatiam speties* aliaque multa); explanationes ad medii aevi scholasticam institutionem cognoscendam notatu dignissimae.

L^1. — Codex Laurentianus *Plut. XXXIII,* 32, membranaceus, mm. 240×175, foliorum 25, decora nitida scriptura

saec. XIV exaratus. F. 1r: *Quomodo sola sedet*; f. 25v: *Viventis melior quam morientis amor* | *Explicit liber Henrici Septimellensis amen.* Plurimae glossae inter lineas verba interpretantur, in margine historiae et mythologiae nomina locosque obscuros explanant. Nulla partium divisio praeter inter versus 250 et 251. Passim operam diligentis correctoris videre licet, qui, alio libro collato, litteras accurate deletas rescripsit: fecerit idem *Elegiae* scriptor librarius necne satis non liquet.

R[1]. — Codex Riccardianus *732,* membranaceus, mm. 250 × 137 saec. XV in. foliorum 19. In folio custodiae recentiores manus titulum *Henricus Septimellensis de Fortuna,* et nomina libri huius possessorum scripserunt, quae Vespucciis et clarissimo quidem viro Amerigo hunc codicem fuisse indicant: *Iste liber est mei Ja . . . ser Amerigi de Vespucciis* (quae lituris vix legi possunt) | *Iste liber est mei ser Amerigi Stasii de Vespucciis,* quod etiam in ultimo folio custodiae legitur. F. 1r: *Quomodo sedet sola.* F. 19v: *Explicit henricus liber hic qui samariensis* | *Materiam miseram qua fuit arte sequens.* | *Qui scripsit scribat semper cum domino vivat. Amen.* Recentior manus adiecit: *Iste liber est Xinibaldi ser Johannis de Piscia.* — In paginis 1—5 multae inter lineas verborum interpretationes leguntur, in ceteris desunt omnino. Manifesta *Elegiae* divisio solum inter vv. 250 et 251. Operam correctoris qui *Elegiam,* collato alio codice, recognovit videri potest.

L[2]. — Codex Laurentianus *Plut. LXXXVII 16,* membranaceus, mm. 210×160, foliorum 33, saec. XIV ex. scriptus, praeter folia 9-17, complectens vv. 353-706 chartacea et manu saec. XVI. F. 1r: *Quomodo sola sedet.* F. 24v: *Explicit herigus cui nullus fuit amicus* | *Qui scrissit scribat semper cum domino vivat* | *Finito libro referamus gratia* (sic) *Christo. Amen Amen Amen.* — *Elegiae* divisio in quattuor partes litteris

grandibus, quibus vv. 251, 501, 751 incipiunt, apparet. Nullae glossae vel variae lectiones. — F. 26^r: *Ardua virtutum faciles.* F. 33^v: *Explicit liber de septem virtutibus. Deo gratias.*

Classis III: R^2. — Codex Riccardianus *725,* membranaceus, mm. 200×145 saec. XV in. exaratus, miscellanea continens. F. 1 : *Aesopi fabulae*; f. 26: [*De natura quorumdam animalium cum allegoria ad Christum*]; f. 32: *Liber Theodori* (sc. Egloga Theoduli). — F. 41^r: *Quo sola sedet*; iuxta primos versus haec leguntur: *henricus sive henrigeptus conditor huius libri condolet in adversis et super hiis condidit hunc libellum pulcherrimum*; f. 64^v: *Explicit liber henrigecti Deo gratias amen.* Multae inter lineas verborum interpretationes. Nulla manifesta *Elegiae* partium divisio, sed passim complures versus grandibus et pictis litteris incipiunt.

S. — Codex Nat. Flor. *Conv. Sopp.* I, IX, 15, olim in Monasterio Flor. S. Marci, chartaceus, mm. 210×145, foliorum 116. *Henrici Elegia* foliis 1-28 continetur, sed 1-7 corrupta et mutila sunt; ultima desunt, cum *Elegia* non ultra versum 909 legatur. Plurima menda et corruptelae magnam librarii inscitiam ostendunt. *Elegiae* divisiones inter vv. 250 et 251, 750 et 751. Inter lineas multae verborum interpretationes. — *Elegiam* excipiunt: ff. 29-68 *Liber Pandari* (sc. Homerus latinus); ff. 69-74 [*Virgilii Eglogae*] inchoatae relictae; ff. 75-116 *Statii Achilleidos liber.* In folio ultimo custodiae discipulus quidam, qui libro hoc usus est, disciplinae annum 1440 scripsit.

R^3. — Codex Riccardianus *3598* chartaceus, mm. 200× 142, anno 1445 scriptus, foliorum 103, miscellanea continens. F. 1^r: *Liber Prudentii de columba* («scriptus anno domini MCCCCXLVI»); f. 9^r: *Orthographia parva et utilis,* versus varii. — F. 19^v: *Quomodo sedet.* F. 52^v: *Explicit henricu cuy non fit ullus amicus* | *Finito libro referamus gratiam Christo.* |

Scriptus est liber iste a me... magistro de moliano sub doctrina magistri Johannis Ricchi de monte ulmo anno domini MCCCCXLV et cet. Plurimae glossae inter lineas atque in marginibus. — Quem codicem E. Bonaventura (in *Studi medievali* IV, 176) descripsit.

B. — Codex Braidensis A D-X-*43*, chart., mm. 205×145, saec. XV, miscellaneae continentiae (*Vitalis blesis Amphitrion, liber exopi, liber prosperi, proverbia barri,* carmina humanistica et sacra). *Elegia* ff. 19 complectitur; f. 1^r^: *Quomodo sola sedet*; f. 19^r^: *Explicit henrici liber qui samariensis Materiam miseram quam fuit arte sequens.* Librarius scripturae annum 1459 indicavit. Codicem hunc R. Sabbadini (Ai soci dell' «Atene e Roma» Milano 1908, pp. 16 ss.) descripsit; I. Rotondi (*R. Istit. Lomb. di Scienze e Lett. Rendic.* LIX, XI-XV) *Elegiam* diligenter recensuit et varias lectiones, quibus ipse usus sum, protulit.

M². — Codex Nat. Flor. *Magliabechianus VII, 1088,* olim Strozzi 222, chartaceus, mm. 190×135, anno 1469 scriptus, quem librarius ipse indicavit; *Elegia* ff. 42-60 continetur. F. 60^v^: *Explicit liber Arrigeti de Septimello.* Nullae glossae. — Eàdem manu: *Statii Achilleidos liber*; *Liber Pyndari* (sic) (sc. Homerus latinus); *Liber Galli*; *Alda puella.*

P. — Codex Vatic. Palat. *226,* chartaceus saec. XV scriptus, foliorum 204, miscellanea continens, in quibus quaedam carmina teutonica lingua germanicam codicis originem indicant. In ff. 107^r^-108^r^ leguntur, ex *Elegia* passim excerpti (versus 42) sententiarum moralium flosculi; hos alii eiusdem *Elegiae* 13 versus secuntur de Henrici infelicitate, quibus haec praemittuntur: *pauper henricus de propria miseria et de fortune miseriis ad norma* (sic) *boetii de consolacione.* Nonnullae mendosae lectiones negligentiam librarii infidamque originem demonstrant. Quem codicem Bibliotheca Apost. Vat. (Cod. Pal. Lat. T. I, p. 50) descripsit.

Restat ut nonnihil de *Elegiae* editionibus adiiciam.

Ad humanisticos codices, non modo aetate sed etiam auctoritate et fide, antiquissimae editiones propius accedere videntur. Nam qua ratione et via curatae sint editio prima, Traiecti ad Rhenum anno fere 1473 excusa, ceteraeque quae subsequutae sunt (1), ex ipsis inscriptionibus ex arbitrio fictis conici potest.

Primus autem quamdam artem criticam, temporibus quidem illis acerbam, sequi contendit CHRISTIANUS DAUMIUS, qui carmini, *Kemnitii anno*, ut videtur, *MDCLXXXIV* evulgato, hanc inscriptionem, non ex codicibus sed e Lugduni editione fere sumptam, indidit: ***Henrici Septimellensis alias Samariensis vulgo Henrici Pauperis Elegia de diversitate Fortunae et Philosophiae consolatione*** (2).

---

(1) 1. HENRICUS SEPTIMELLENSIS, *Liber Elegiarum*, Traiecti ad Rh. fere a. 1473.

2. *Poema contra fortunam*. In fine: *Explicit Henricus liber contra fortunam* (sine loco, anno, typis).

3. *Liber Elegiorum* HENRICI SAMARIENSIS, alias Septimolensis, doctoris quippe celeberrimi *de miserorum atque desolatorum philosophica saluberrima consolatione*, Coloniae 1497.

4. *Liber de malis fortunatis*, versibus elegis, [Parisiis fere a. 1499].

5. *Elegia* HENRICI *de adversitate fortunae et philosophiae consolatione*, Lugduni, 1511, 1513[2].

6. *Liber introducentis pauperem aliquem contra fortunam et philosophiam ipsum consolantem*, sine loco et anno typis A. Charron J. Mesnage.

Cfr. L. HAIN, *Repertorium Bibliograficum*, II I p. 14; J. C. BRUNET, *Manuel du libraire*, III p. 99; J. G. GRAESSE, *Trésor de livres rares*, p. 241. Harum editionum, quamquam saepe exquisivi, nullam invenire potui.

(2) Huius editionis quae rarissima inventu est, exemplar cum variis lectionibus, manu Magliabechii, Florentiae in Bibliotheca Nationali adservatur [22, A, 5], aliudque cum hoc opere a conglutinatore coniunctum: *Palponista Bernardi Geystensis, sive De vita privata et aulica libri duo... Nunc primum edidit Chr. Daumius, Cygneae, Typis Melchioris Gögneri anno MDCLX.* Huic *Elegiae* editioni adiecti sunt *Henrici Pauperis Versus, ex alio libro laudantur ab incerto qui Flores poetarum collegit;* praeterea *Tractatus de septem virtutibus, ex ms. cl. et illustrissimi D. D. Antonii Magliabechii.* Quam editionem, parum quidem divulgatam, LEYSERUS fere anno 1684 excusam esse ex DAUMII *Epistolis philologico-criticis* suspicatus est.

In qua editione, quamvis diligentiore, tamen fere nullam satis certam normam sequutus est, cum complures locos ad humaniorum studiorum sensum atque iudicium immutavisset, neque vero satis idoneis codicibus manuscriptis usus esset. Nam praeter codicem Lipsiensem 1288, qui nunc in Universitatis bibliotheca adservatur, saeculo XV scriptum et priorem tantum *Elegiae* partem (vv. 1-500) continentem (1), «ex mediceo Magni Ducis Hetruriae et altero cl. et illustris viri Antonii Magliabechii», ut ipse inscriptione testatur, *Elegiam* evulgandam sumpsit, quorum alterum codicem L^1, alterum M^2 fuisse verisimillimum est.

Aliam editionem Polycarpus Leyser curavit atque in *Historia poetarum et poematum medii aevi* (*Halae Magdeb. MCCXXI, 453-97*) inseruit. Qui vero minus sano in lectionibus eligendis iudicio, minore diligentia in mendis typographicis vitandis, maiore licentia in compluribus locis ex arbitrio corrigendis usus, quamquam duos alios codices manuscriptos in promptu habuit, nihilo tamen certiorem *Elegiae* textum statuit. Ceterum cuius pretii sint codices quibus usus est non ignoramus. *Guelpherbytanus* enim n. 4544 (239 Gud. lat. 4°), chartaceus, saec. XVII, manu Marquardii Gudii (+ 1689) a quodam ms. Florentino, collato cum alio ms. patavino (2), descriptus est, quorum alterum esse codicem V certum esse, alterum esse codicem L^1 verisimillimum puto, ut ex Leyseri lectionibus suspicari licet. Codex autem *Helmstadiensis* 211 (184), qui item

(1) Quae de codice Lipsiensi (de quo nuda mentio in Joach. Felleri *Catalogo Codicum* bibliothecae Paulinae Academiae Lipsiensis facta est) Doctor Hilliger humanissime mecum communicavit; a quo certior factus sum, quod ipse suspicatus eram, nullam vel inscriptionem vel subscriptionem in codice illo *Elegiae* esse. Qua re vulgatam inscriptionem illam *De diversitate Fortunae et Philosophiae consolatione,* quam Leyserus in illo codice esse Daumiumque ex eodem sumpsisse putavit, ex arbitrio *Elegiae* inditam esse apparet.

(2) Illa de codicibus Guelpherbytano et Helmstadiensi Doctor P. Zimmermann, bibliothecae Guelpherbytanae moderator, cui gratias agere mihi gratum est, mecum communicavit.

in bibliotheca Guelpherbytana adservatur, chartaceus, manu saec. XV scriptus, similis est codicibus florentinis tertiae classis, ut apparet e lectionibus quas Leyserus in calce suae editionis indicavit; librarius Germanus fuit natione, ut patet ex nomine *Elegiae* auctoris, qui appellatur *Hinricus Florentinus*. *Elegiae* divisio in quattuor libros, quae facta est a Leysero et a Mannio servata, huius codicis fundamento nititur.

Leyseri editionis merum exemplar est MIGNIANA, quae est in vol. CCIV *Patrologiae latinae* ad pagg. 843 seqq., eademque in FABRICII *Bibliotheca latina mediae et infimae latinitatis* (vol. VI, Florentiae 1859 ad pagg. 665 seqq.), paucis lectionibus, nec semper in melius, mutatis, quas e manuscripto Lucensi (Lu) MANSIUS sumpserat.

Daumii et Leyseri editionum, mendis typographicis et ineptiis neglectis, varias alicuius pretii lectiones in calce editionis nostrae adnotavimus, cum quasi quaedam voces codicum Helmstadiensis et Lipsiensis, quantulae eae cumque sunt, audiri possint.

Sed profecto nihil minus notum videre licet in editione quam DOMINICUS M. MANNI curavit (*Arrighetto, ovvero trattato contro l'avversità della fortuna.* Firenze 1730; Milano 1815²), quippe qui codicibus, quos omnes recognoverimus, usus sit, videlicet R^1, R^r, M^2, et fortasse L^1 L^2, optimos codices autem ignoraverit. Nec ex illis quidem quibus usus est tantum profecit ut multo meliorem editionem daret, quam iam viri docti eiusdem aetatis, L. Mehus (1) et Hier. Tiraboschi, minime probaverunt; nam, ut multos mendosos locos praeteream, in multis corrigendis, Henrici aetatis latinitate male cognita, sano quidem iudicio usus non est.

---

(1) L. MEHUS, *Ambrosii Traversari Latinae Epistolae.* Florentiae 1759, p. 147; G. TIRABOSCHI, *Storia della lett. it.,* Modena 1774, IV, 349.

*
* *

Quamquam nec carminis autographus exstat, nec archetypus qui ad eum aetate prope accedat, primae classis tamen codices, qui amplius centum annis postquam Henricus *Elegiam* scripsit exarati sunt, autographum redolere videntur, cum huius carminis per totum fere saeculum XIII tam effusa propagatio non fuerit quanta fuit saeculis XIV et XV; quae propagatio potissima eius corruptionis causa fuit. Qui codices praestantiores profecto ad unum exemplar redeunt, quod quaedam orthographica menda (e. g. pro *aspis* v. 471 *iaspis*, pro *venimus* v. 685 *veniamus*, pro *Macedum* v. 651 *Macedon*, pro *vexare* v. 421 *versare* legendum esse aut loci sententia, aut quantitas et morphologia apud Henricum fere congruentes vel correctae, aut Horatii *Carm.* III VI 38 imitatio satis declarant) et dissimiles scripturae solutiones eiusdem dubii compendii (e. g. *hebere* et *habere* v. 836, *nimis* et *nimium* v. 835) patefaciunt; eo tamen pacto ut C U A Lu a M^1 seiugantur. Cum enim illi in omissis versibus 573-4, in nonnullis orthographicis corruptelis et in aperte mendosa verborum translatione, quae facta est in v. 77 (*heu miser, heu cecus, heu demens, semina mundi*), conspirent, codex M^1 hunc versum integrum servavit (*heu miser heu demens heu cecus semina mundi*) versusque 573-4 proprio loco scripsit; qui vero interpolationi tribui non possunt, cum loci sententiae aptissimi sint numerumque 250 versuum tertiae *Elegiae* partis plenum faciant, qui numerus idem est ac partis primae et secundae. Attamen, quamvis CUA Lu ab uno archetypo recta vel saltem brevi via deducti esse videantur, alium ab alio descriptum esse, multis cuique propriis mendis et versuum omissionibus, suspicari non licet. Immo vero cum C A Lu sincerius archetypum descripsisse animadvertas, in U quasdam exiguas doctio-

res correctiones deprehendas, ut in vv. 329, 655, 992. Negligentem autem et indoctum librarium fuisse manifestissime A ostendit; nam non raro omissi versus in margine adiiciuntur, multa menda crassam Minervam declarant, atque etiam nonnullae interpolationes, videlicet e glossis appositis, eius inscitia in textum irrepserunt (e. g. 139 leccatris *querit* mel; 439 *noctue*; 782 *fida* comes; 979 *brevitate* Henrice reconde). Et tamen tam indoctus librarius ingenuitatem lectionum patefacit, quas saepe non sine magna utilitate cum lectionibus codicum C U comparaveris; qui codices vero, paucis communibus lectionibus (vv. 156-7, 290, 295, 701) paulum simul secedere videntur ab A; ad quem vero codex Lu tam prope accedit ut eum ab eodem archetypo ortum esse multis orthograficis mendis et quibusdam lectionibus (vv. 205, 632) suspicari liceat. Cum A codices quoque V et R^1, de quibus dicturus sum, propinquitate coniuncti esse videntur.

Ex his quae supra diximus sequitur ut archetypus x^1 quem satis apte ex C U et A Lu, quibus V R^1 subsidio sunt, restituere possumus, fide dignus plerumque videatur. Sed fide dignior quidem est primae classis codicum communis archetypus x, quem lectionibus codicis M^1, cum C U A Lu collati, restituere possumus. Quoniam autem M^1 a superioribus codicibus, proprio archetypo x^2 una cum L^1, de quo dicturus sum, secedit, et, praeter recentioris manus correctiones, litura et atramento manifestas, lectionum ingenuitatem ostendit, ubi C U A Lu, cuncti aut singuli, cum M^1 conspirant, quod plerumque fit, ibi veram lectionem esse videbimus, ubi autem discrepantiam ostendunt, quod raro fit, potiorem, prout iudicium ex interiore textus condicione monebit, eligemus.

Inter secundae classis codices, cum externa pulchritudine tum aetate et fide, V et L^1 praestant, alter cum C U maximeque cum A propinquitate coniunctus, alter cum M^1.

Codex V cum CUA in versibus 573-4 omissis atque in nonnullis lectionibus, saepius cum U maximeque cum A conspirat. Verum a doctiore librario vel ab aliquo ludi magistro correctiones ex arbitrio factas esse, nec interdum per se ineptas, (vv. 16, 35, 129, 170, 259, 265, 274, 480, 753 alii) apparet, ut passim non parum a codicibus C U A, paulo minus a Lu, discrepet, quamvis ab eorum archetypo, ortus sit. Quae singulares lectiones, quae prorsus reiciendae sunt, pleraeque in editiones irrepserunt; aliae autem quae cum primae classis codicibus conspirant ad veras lectiones statuendas subsidio esse possunt.

Non dissimilis est codicis L^1 condicio, qui item nonnullis singularibus lectionibus a codicibus primae classis et a V discrepat (vv. 96, 156, 271, 337 s., 409 alii). Verum cum in integris versibus 573-4 et quibusdam orthographicis mendis cum M^1 conspiret, nonnullis mendosis lectionibus, quibus ad communem omnium archetypum redire nullo modo licet, cum A tantum convenit (v. 420 *parentes* pro *patres,* 528 *debilem* pro *debilis*, 663 *nuperrime* pro *nuper ve* aliae). Itaque recognitio ex alio codice facta aliquid fidei huic codici detrahit.


Codici L^1 prope accedit L^2, quod apparet ex compluribus mendosis lectionibus (vv. 276, 299, 426, 714, 888 alii) unaque aptissima (v. 836 *hebere* pro *habere*). Sed propter nonnulla menda, aut cum A aut cum R^1 congruentia, hic codex mixtae lectionis minusque fide dignus esse videtur.

Codicem R^1 ab eodem codicis A archetypo ortum esse cum versus 573-4 in CUA quoque omissi, tum alii (551-4) quos AR^1 uni in margine adiungunt nonnullaeque mendosae lectiones (vv. 568, 608, 811 alii) indicant. Verum illum etiam e codice M^1 pendere nonnulla menda (vv. 375, 522, 740, alii) et quaedam aptae quidem lectiones singulares (v. 329 *deveni ad nichilum,* 77 *heu demens heu cecus*), ostendunt. Quae haud sciam an

ab ipso M^1 oriantur, cum tamen fieri possit ut communi omnium codicum archetypo tribuendae sint.

Tertiae classis codices, qui mixtae lectionis sunt, vix alicuius pretii esse videntur, quippe qui medio saeculo XV exarati sint, cum plurimae corruptelae, correctiones, recognitiones, interpolationes *Elegiae* textum iam infecerant. Quamquam cuiusque origo obscurior est, hoc tamen affirmaverim B R^2 S codicibus A Lu R^1 plerumque propius accedere, R^3 codici V, M^2 codici L^2.

Omnium librorum igitur cognatio hoc stemmate demonstrari licet:



Unde hoc facile colligitur: ubi primi ordinis codices consentiant, ibi nullum dubium in lectionum electione esse posse, itemque ubi aut C aut U aut A cum M^1 consentiant; ubi autem C U A Lu ab M^1 discrepent, codices secundi ordinis auxiliari, si prudenter, recentioris correctionis ratione habita, sumantur; tertii denique ordinis codicibus interdum nonnullas superiorum ordinum lectiones, exigua tamen auctoritate, confirmari posse.

Itaque in enotandis scripturis nunquam discrepantes primi ordinis C U A Lu M^1 itemque secundi ordinis V L^1 R^1 L^2 codicum

alicuius pretii lectiones neglexi; tertii ordinis vero codicum R^2 R^3 S B M^2, solum ubi non sine quadam utilitate in traditione confirmanda visi sunt, scripturas enotavi. Librariorum aperta menda et diversitates orthographicas omisi ne multas enotationes frustra cumularem. Nam orthographia tam dubia fluctuare mihi visa est ut saepe eam e cuiusque librarii arbitrio potius quam ab autographo pendere pro certo habuerim. Quae quidem optimi codices consentientes ferebant ea servavi (1); in re dubia a praeceptis quae medii aevi grammatici et lexicographi, maxime *Huguccio Pisanus,* Henrici fere aequalis, tradiderunt auxilium petii. Interpunctiones et grandes litteras, in codicibus incertissimas, quo melius Henrici sententiam indicarem, ex nostrae aetatis norma adhibui.

Ceterum, praeter quam quae ad orthographica pertinent, codicibus semper nisus sum atque (exceptis correctionibus in vv. 421, 471, 651, 685 quas supra indicavi) ipsis difficilioribus locis a coniecturis abstinui cum satis constet quam audacter infimi medii aevi scriptores nova verba finxerint veteresque significationes immutaverint, et quam saepe a recepta veterum poetarum prosodia recesserint. Neque vero Henricus, quamvis a veteribus exemplum ac normam sumat, a suae aetatis consue-

---

(1) Quae ortographia a recepta norma recedere videtur hanc ab ipsis libris manuscriptis deprompsi: e. g. *i* pro *y* in *lira, silogizo, sinodo, Babilon, Pilades. Titius; y* pro *i* in *phylosophus, sophya, sophysta, satyra; h* omissa in *clamis, crisma, scola, Demostena; h* male adiecta in *honus, honustus perhennis, protheat; f* pro *ph* in *faleris, fronesis.* Quas quidem huius generis scripturas a medii aevi grammaticis comprobatas esse invenimus. — Ubi vero optimi codices discrepant, aut scripturam illam potiorem habui quam medii aevi grammatici et lexicographi tradiderunt, aut veterum normam servavi. Utrum *capud, nequid, velud* scriberem necne diu dubitavi, cum in hac scriptura, quae Galliae propria fuisse videtur (Thurot, *Notices et Extraits de divers manuscrits latins pour servir à l'histoire des doctrines grammaticales au m. a.* [*Not. et Extr.* et cet., Paris 1874, t. XXII, p. II] p. 144), passim consentirent; sed *caput, nequit, velut* elegi, cum multas discrepantias animadvertissem. Quoniam autem quantum litterae latinae, quae Henrici aetate in Gallia floruerunt, apud nostros valuerint satis constat, dubius sum an haec scriptura librariorum arbitrio debeatur.

tudine latinitatis novis verbis et locutionibus augendae abhorret, nec a quibusdam mendis in prosodia immunis esse videtur.

Qua re magni momenti esse duxi Henrici latinitati diligentem operam dare, cum dubios locos interpretandi causa, tum ut digestam, quantulacumque est, materiam infimi medii aevi universae latinitatis studio pararem. Ideo indices grammaticos composui in quibus res metricas, locutiones maximeque verba a recepta veterum scriptorum norma aberrantia indicavi atque enotavi, cum a S. Scripturae, recentiorum scriptorum mediique aevi lexicographorum latinitate interpretationis lumen petiissem. Ad difficultatem autem quorumdam *Elegiae* locorum solvendam antiquas in italicum sermonem conversiones indicavi utileque esse putavi glossas, quae in codicibus leguntur, eligere atque inter scripturas enotare; quae, quamquam non semper sunt probandae, qua tamen ratione et eruditione medii aevi magistri pueros docuerint atque *Elegiam* explanaverint testantur.

Auctorum autem indicem adiunxi, quo Henrici eruditio melius cognosceretur quam ex iis quae usque adhuc de eius carmine disputata sunt. Quam sane eruditionem e S. Scripturae atque Ecclesiae scriptorum studio, cum poetarum antiquorum exornationibus composito, conflatam esse apparebit.

Ceterum hanc editionem curavi atque haec subsidia cumulavi quo alteram auctiorem emendatioremque darem, praemissa plena, quantum meis viribus fieri poterit, de *Elegiae* sententia atque arte ac de eius aetatis litteris disceptatione. Quod si in hac nimis multa non desiderantur, virorum doctorum, U. Dorini et D. M. Inguanez, benevolentiae id refero, qui in meum usum, alter codicem U alter C, liberaliter contulerunt doctisque amicis C. Landi et V. De Zanche, qui plagulis emendandis mihi praesto fuerunt; quod publice testari memoremque animum significare mihi pergratum est.

DE CARMINE EIUSQUE SCRIPTORE TESTIMONIA

De operis inscriptione. — « Titulus libri talis est: Incipit elegia henrici septimellensis. In hoc titulo materia operis et nomen auctoris insinuatur. Elegia vox graeca in latino miseriam sonat » (in codd. Lu V). « Si queratur quare potius liber iste denominetur a priore parte materie quam a sequenti, id est a consolatione phylosophye, dicimus quod libri consueverunt denominari a principiis et non a fine, ut libri Numeri, quia tantum in principio numerantur filii Israel, et liber Mathei, liber Generationis Ihesu Christi et Anticlaudianus et multi alii » (in f. 1r codicis V). « Elegia — .i. historia de miseria — Henrici Septimellensis » V.

« Incipit Elegia sive miseria Regipti (« Hegipti » *legendum puto*) quod idem est quod Henrici » (in f. 1r custodiae codicis A). « Elegia Henrici Septimellensis » « ex alio exemplo » (A)[1].

Inscriptiones « Liber Henrici » (C M^1 L^1) vel « Liber Henrigecti » (C M^2), « Henricus » (R^1 R^2 L^2 R^3) vel « Arrigeptus » (R^2) « Arrighetto » (a b) ab expeditis et vulgatis ludi magistrorum et discipulorum appellationibus ortae esse videntur.

De eius divisione. — *Elegia* in IV « distinctiones » in cod. U, in IV libros in codice Helmstadiensi divisa est. Eiusdem in quattuor partes divisionis vestigia codices C L^2 ostendunt. In duas partes, quae « distinctiones » in codice V appellantur, eam distribuunt codices M^1 C A L^1 R^1 S, in quibus propter grandes multorum versuum litteras initiales prior divisio deperdita est.

Quoniam prima, secunda et tertia « distinctio », ducenos quinquagenos versus complectuntur, quarta vero (etiamsi in versu 995 legatur « suscipe millenis citharam quam dirigo nervis ») ducentos quinquaginta quattuor continet, quattuor ultimos versus subditos esse suspicari licet. Ceterum in italica interpretatione a Mannio edita nihil his versibus respondet, et in codice M^1 ultimi duo versus recentiore manu adiecti sunt.

De eius compositionis tempore. — Ex mentionibus, quae fiunt in vv. 311 seqq. atque in vv. 664 seqq., Siciliam ab Henrico VI imperatore nondum subactam esse (a. 1194) recentemque Richardi Angliae regis captivitatem fuisse (a. 1192) apparet: quibus indiciis fere anno 1192 *Elegiam* scriptam esse iam alii iudicaverunt. Verum temporis termini accuratius definientur si, vv. 315 seqq. perpenderimus, in quibus de Saladino iam adversa fortuna laborante atque etiantum vivente mentio fit. *Elegiam* igitur nec post Martium a. 1193, quo Saladinus mortuus est, nec ante Decembrem 1192, quo Richardus rex captivus factus est, scriptam esse liquet.

De eius scriptore. — Henricus «de Septimello villa pratensi» (M[1]) vel «Septimellensis» (C U L[1] M[2]) *Elegiae* scriptor appellatur. Cognomen «Samariensis» (U (A) R[1]) vel «Pauper» (in cod. Vat. et Lips.) ad Henrici miseriam egestatemque significandam fictum esse apparet.

De Henrici vita nonnihil codex A narrat:

« Auctor iste fuit tuscus et optime peritus in arte grammatice ac in ditatoria facultate. Propterea quod episcopus florentinus et episcopus vulteranus vocarunt ipsum a Bononia ut secum pro canzelario moraretur. Qui dum esset effectus canzelarius, accepit quemdam in famulum qui vocabatur Ugo. Dum esset in prospero statu multi asserti simulative sunt eius amici, et non tantum amabant ipsum, quantum propter servitia que consequebantur, se suos amicos simulabant. Sed quid fuit? Iste Henricus ludendo ad taxillos diem trahebat in noctem et propter hoc predicti domini episcopi ipsum expulerunt. Et illi qui se prius fingebant amicos ipsum reliquerunt. Conqueritur ergo in isto libro de duobus, videlicet de fortuna et de inconstantia amicorum, intendens a tali vitio quoslibet revocare. Utilitatem cognitio fortune (*sic*) liber iste supponitur hetica, hetica moralis scientia dicitur, et cetera». Quae ex alio codice descripta esse apparet.

« Auctor istius libri fuit Henricus nomine, qui usus fuit omni prosperitate, postea passus est omnem adversitatem... dirigit librum suum ad dominum Longepres episcopum ultramarinum amicum suum». Lu.

Ceteri codices nihil, praeter cod. Helmstadiensem, in quo leviter de Henrico attingitur, qui «gavisus antea summa felicitate et postea ad summam inopiam redactus, carmen hoc composuit, scripsitque hunc librum ad episcopum florentinum» (*Leyser*, p. 451); quae verisimile est a Philippi Villani, *Libro de civitatis Florentiae famosis civibus* petita esse.

« L'autore di questo libro ebe nome Arrigetto, huomo che fue di scrittura savio e di senno naturale riccho et agiato, fiorentino di nazione, d'uno luogo del chontado di Fiorenza chessi chiama Settimello. Et fue gientile huomo di nazione; venne in grande povertate et in grande miseria, sicchome s'aviene nella fortuna». — «Qui parla Arrigo al veschovo di Fiorenza e dice chosì: Io ti perdono; questo dicie perchè il veschovo li promise un paio di dicretali e poscia non gliele diede». (E glossis codicis Ricc. 1338 qui italicam *Elegiae* interpretationem continet, quam *E. Bonaventura* evulgavit in *Studi medioevali* IV, pp. 178 sgg.)

Philippus Villani in *Libro de civitatis Florentiae famosis civibus* (ed. Florentiae a. MDCCCXLVII a G. C. Galletti, p. 31) de «semipoetis» disceptans, «quorum studia, etsi heroicos apices non potuerunt attingere mediocris tamen et urbanae elocutionis gratiam consecuti sunt», inter eos «locum primum Henrico concedendum» putavit, atque haec «de Henrico semipoeta elegiaco» rettulit: «Fuit Henricus vir potentis et hilaris ingenii, inventionis facilis et promptae, quam quandoque ironia et de tanto schommate laetaretur. Hic ortus est in villa Septimelli, per lapidem septimum ab urbe nostra distante, rusticis sane parentibus, sed qui pro bonis meritis civilitatem fuerint consecuti. Is, cum dies

iuventutis liberalibus artibus et studio poesis commendasset, sumptis cleri ordinibus, pro meritis suis Callensani Plebem consecutus est, beneficium sane opulentum et quod potuisset illi otia parare litterata; sed illi contentionis commercium fuit; livor enim improbus, qui sibi soli desiderat divitias et honores, in Henricum insontem et nil tale timentem impia odia excitavit. Pastoris siquidem Florentini fames inexplebilis atque inexpiabilis suos per divitias exaltandi, ut viro tali per fas atque nefas beneficium adimeret, suisque concederet, illi bellum immortale suscitavit, omnibus impar odiis Henricus in causis in longum protractis consumpto patrimonio, liti ingruente, vi atque pauperie coactus est cedere, et pauperrime, relicto beneficio, mendicare. Cumque is, multis obsessus infortuniis inquietam et miseram duceret vitam, opusculum suum edidit invehens in Fortunam, in quo, ternario usus metro, sua damna deflevit inchohans: *Quomodo sedet sola probitas! Flet et ingemit aleph.* Hic libellus, cui titulus Henriguethus est, primam discentibus artem aptissimus, per scholas Italiae continuo frequentatur ».

Ex quibus testimoniis parum certi colligi potest. Codicis A (1) narratio Ph. Villani prorsus adversari videtur. Alteram tamen alteri conciliare conantes, haec fere retinemus: Henricus Septimellensis, agresti genere natus (vv. 419 ss.), liberalibus studiis Bononiae imbutus (vv. 571 ss.), clarum dictatoris nomen adeptus est. « Callensani Plebem consecutus », apud episcopum Florentinum, hoc « opulento beneficio » fortasse servato, cancellarius factus est. Postquam vero in illius odium et offensionem cecidit, munere et « beneficio » spoliatus atque ad inopiam redactus, Elegiam scripsit, episcopo Florentino dicatam (vv. 991 ss.), per quemdam amicum, Longum nomine (vv. 981 ss.), quem Presbyterum *(pres = presbyter)* Cathedralis fuisse verisimile puto (cfr. in Cangii *Glossario* « presbyter »), cum episcopo in gratiam se restitui posse speravit.

Ceterum, carmen legentes, multo potius quam Henricum animo vehementer commoto de miseria sua narrantem, liberalium artium doctorem cognoscimus, qui moralem rhetoricamque doctrinam discipulis tradere in animo habuit; quod florum rhetoricorum copia, plurima praecepta plurimaeque mythologiae et historiae mentiones satis ostendunt.

---

(1) Quae codex A de Ugone famulo, de amicis infidis, de Henrici immodico ludi studio narrat, ex ipsis *Elegiae* versibus sumpta, vel commenticia esse apparent. De hoc testimonio A. Monteverdi (*Rivista d' Italia* XXVIII, fasc. VII, pp. 486 ss.) optime disputavit, animadversionesque notatu dignas J. Spagnolo (*Arrigo da Settimello*, Cremona 1926) adiunxit.

NOTARUM TABULA

Codices:

- M[1] = *Nat. Flor. 1180 (Magliab.), saec. XIV in.*
- C = *Casin. 227 P, saec. XIII ex.*
- U = *Strozzi-Uguccioni 72, saec. XIV.*
- A = *Ambros. D, 14, inf., saec. XIV in.*
- Lu = *Luc. 370 A, saec. XIV.*
- V = *Marcian. mss. lat. VI, 95, saec. XIV.*
- L[1] = *Laur. XXXIII, 32, saec. XIV.*
- R[1] = *Riccard. 732, saec. XV in.*
- L[2] = *Laur. LXXVII, 16, saec. XIV ex.*
- R[2] = *Riccard. 725. saec. XV in.*
- S = *Nat. Flor. Conv. Sopp.* I. IX, *5 (S. Marci), saec. XV.*
- R[3] = *Riccard. 3598, saec. XV.*
- B = *Braid. AD X 63, saec.* XV.
- M[2] = *Nat. Flor. 1088 (Magliab.), saec. XV.*
- P = *Vat. Pal. 226, saec.* XV.
- ( ) = Manum correctoris indicat.

Editiones (*edd.*):

- *d* = CHRIST. DAUMII, [Chemnitii MDCLXXXIV].
- *l* = POLYC. LEYSERII in *Historia poetarum et poematum medii aevi*, Halae Magd. 1721.
- *m* = D. M. MANNII, *Arrighetto*, Firenze 1730.

Conversiones *in italicum sermonem*:

- *a* = (ex variis codd. Magliab. et Ricc.) ed. a D. M. MANNIO, *Ibid.*, atque a MILANESI, Firenze 1864.
- *b* = (ex cod. Ricc. 1388) ed. ab E. BONAVENTURA, in «*Studi Mediev.*» IV, 178 sqq.

HENRICI SEPTIMELLENSIS

ELEGIA

— SIVE DE MISERIA —

Incipit Elegia Henrici Septimellensis

Quomodo sola sedet probitas! flet, ingemit, aleph,
  facta velut vidua que prius uxor erat.
Cui de te, fortuna, querar? cui? nescio. Quare,
  perfida, me cogis turpia probra pati?
Gentibus obprobrium sum crebraque fabula vulgi;
  dedecus agnoscit tota platea meum.
Me digito monstrant, subsannant dentibus omnes,
  ut monstrum monstror dedecorosus ego.
Mordeor obprobriis. De me mala cantica cantat
  vulgus, et horrendus sum sibi psalmus ego.
Fama per antiphrasin cantat multumque cachinnum
  de me ludificans impia turba movet.
Concutit a tergo michi multa ciconia rostrum,
  hic aures asini fingit, et ille canem.

Incipit liber Herigeti M^1. — *Incipit liber Arrighetti* C. — *Incipit elegia Henrici Septimellensis* U. — *Incipit elegia sive miseria Regipti quod idem est quod Henrici* A. — *Henrici Septimellensis alias Samariensis vulgo Henrici pauperis Elegia de diversitate Fortunae et philosophiae consolatione* d. — *Henrici Septimellensis Elegia de diversitate fortunae et philosophiae consolatione. Liber I* lm.

1 aleph, *gl* Lu R^1 R^2 *scientia,* R^3 *heu.* — 4 turpia verba loqui Lu B. — 13 multa ciconia, *gl* R^1 *distribuit una altera ciconia.* — 14 fingit, *gl.* R^2 *manibus.* — canem, *gl* R^2 *exibit linguam ut canis.*

Turba molendini, grex furni, concio templi
  in mea facundis vocibus acta sonant.
Si me commendet Naso, si musa Maronis,
  si tuba Lucani, vix bona fama foret.
Quem semel horrendis maculis infamia nigrat
  ad bene tergendum multa laborat aqua.
Fata neronizant in me, michi triste prophetant
  Astra poli, michi dat tristia signa polus.
O dolor, o pudor, o gravitas, o tristia fata!
  sum miser et nulli sum miserandus ego.
O bona prosperitas, ubi nunc es? Nunc mea versa est
  In luctum cithara, fit lacrimosa lira.
O mala dulcedo, subito que sumpta venenas,
  queve recompensas mellea felle gravi!
O felix qui non est usus prosperitate!
  nam venit ex sola prosperitate dolor.
Non sine felle suo dulcet fortuna nec albet
  absque nigredine, nec mons sine valle fuit.
Cui multum mellis multum dedit ipsa veneni;
  mel vomuit primum felleus ille sapor.
Sic gravius cadit hic quem format forma gigantis
  quam nanus cuius parvula forma sedet.
Ut plumbum gravius pluma paleaque lapillus,
  sic gravius cadit hic qui bona multa tulit.
Hic ego, qui fueram satur omni prosperitate,
  hoc verum fateor omnibus esse modis.
Numinis ambiguos vultus deprendo, novercam
  sentio Fortunam, que modo mater erat.
Sum miser et miseri nullus miserans miseretur:
  in peius veniunt omnia dira michi.
Temperat assidue pro me Fortuna venenum,
  quo sitit illa caput mortificare meum.
Nil agit, infelix. Perii: nequit ergo nocere
  amplius: extincto vulnera nulla nocent.

15 concio templi *gl* M[1] *crerici*. — 16 fecundis V *edd.* — commendat *edd.* — 23 fatta M[1], facta L[2]. — miserendus *l m.* — 28 quae nunc compensas *edd.* queve..compensas U. — *post* 30 *interpolatos vv. 543 s. adiunxit* V. — 34 ipse sapor L[1] R[2] M[2] *l.* — 35 ut gravius V (M[1]). — 35 s. *om.* Lu B. — 39 hinc (M[1]), ast C (L[1]) *d*, at Lu, en V R[1]. — 44 omnia fata *edd.*

Heu quid agam, quid agam? plorabo. Sufficit istud?
Non, quia fata michi deteriora parant.
Quid tibí, magne, tuli, quid, Jupiter? Unde nocendi
ista sitis? Celo fulmina nulla tuli,
Nec petii thalamos Junonis, nec volui, nec
seva giganteis fratribus arma dedi.
Cur michi, seve, noces? cur, cur? dic. - Nescio. - Nescis?
ergo quid innocuo, Jupiter alte, noces?
Hic nimis insanum redolet, caret et Salomone
qui nocet innocuo quique nocere cupit.
Nam nimis iratus, nimis ille superbus et ultra,
qui ferit insontem, crimine dante locum.
Quid me persequeris igitur? victoria parva
est miserum multis ledere posse malis.
Desine. Quid mirum si Davum vincat Achilles?
et si Tersitem conterat Hector equo?
Nam, quotiens miserum probus expugnare laborat,
se misero similem nititur esse probus.
Ad lacrimas redeo, quarum michi copia, quarum
excursus salsis potibus ora bibunt.
Est cibus anxietas, lacrime sunt pocula, pena
panis, vina dolor, est mihi vita mori.
Quod patior pallor loquitur maciesque figurat,
indicat exanguis turpiter alba cutis;
nam facies habitum mentis studiumque fatetur,
mensque quod intus agit nuntiat illa foris;
internique status liber est et pagina vultus:
exterior macies intus amara legit.
Heu miser, heu demens, heu cecus! Semina mundi
iratos animos in mea fata trahunt.
Est mihi terra nocens, ignis gravis, unda nociva,
aer tristitia perfidiore nocet.

51 Jupiter, *gl* U *Ovidius conqueritur de Jove et invehitur in eum.* — 59 ultor *edd.* — 61 persequeris o quam victoria *l.* — 64 Tersitem *gl* R[1] *Tersites iste fuit quidam vilissimus qui deterior nullus fuit in exercitu Troiano.* — 68 rigant *edd.* — 77 heu demens heu cecus M[1] R[1], heu demens *om.* C, heu cecus heu demens *cet. codd.* — 78 facta M[1] L[2].

Sic mihi septenis nocet impia turba planetis:
quilibet in nostra morte planeta furit.
Saturnus falcem, fulmen fert Jupiter, arma
Mars, sol fervorem, dira venena Venus,
Mercurius virgam, cupidas fert Luna sagittas:
septem septena concitat arma cohors.
Quo fugiam, vel quid faciam? mors undique claudit,
ne fugiam, cunctas imperiosa vias.
Ve michi, ve misero, ve prosperitate carenti,
ve cui scire datur quicquid in orbe nocet.
Ex quo prima parens vetito ieiunia fregit,
nullus in hoc misero tam fuit orbe miser:
nec Titius lacerus, refugis nec Tantalus undis,
nec male qui rexit lora paterna puer.
Orbatus Niobes, Job vermes, sibila Cadmi,
hec collata michi prosperitate vigent.
Ergo quis infelix patitur peiora? quis ille
Tristanus qui me tristia plura tulit?
Obruor oceano, sevisque reverberor undis,
nesciet hinc reditum mersa carina suum.
Decidit in cautes incauta carina, procellas
sustinet innumeras invidiosa ratis.
Me si tanta pati natura volebat amara,
ponere debuerat perfidiore loco:
aut gelida Sithia, nimio vel solis in ortu,
aut ubi soligeris concidit ardor equis,
aut ubi perfidior quadrangulus orbis habetur,
vel quo perpetuum torrida zona calet,
aut aliquo peiore loco qui gente vacaret,
quo minus obprobrii cognita fama foret.
Dulcius est miseros aliena vivere terra
quam propria male, qua singula probra patent.
Malo meum sciri longinquis dedecus Indis
quam quos vicinos efficit ipse locus.

95 orbatus *gl* V *ammissio filiorum,* orbata A. — 96 collecta L[1] *edd.* — 100 nesciat L[1] R[3] S, nescit Lu R[1] L[2] B M[2]. — 105 nivium vel solis *l*, nimio *gl* R[1] *in oriente inhabitabili.* — 106 occidit *edd.* — 107 quadrangulus orbis, *gl* R[1] *currus.* — 111 miseris V R[1] *edd.* — 112 patet M[1] — 114 vicinus *l.*

Hic inter notos sotios, miser, inter amicos,
quod nugor, querula fertilitate premor.
Omnibus invideo melioribus: invida semper
mens tantum rodi pro meliore solet.
Quot sub sole vigent fateor me tot meliores:
sim licet Arturus, qualis habebor ero.
Omnibus invideo, nullus michi: mens dolet hinc quod
reciproca caret hic transitione dolor.
Nam caret invidia miser, immo miserrimus ille
qui nimis omnimoda prosperitate caret.
Quid sim, quid fuerim, cuias, ubi, quid vocer, unde
natus, homo vel humus nescio, mentis inops.
Me domini, sotii, noti, quod maius, amici,
pro scelus! in medio deseruere mari.
Dum Zephyrus flabat multis comitabar amicis,
nunc omnes Aquilo, turbine flante, fugat.
Ut phylomena canens, frondes sonitumque canorum
et nemus et silvas, frigore tacta, fugit,
sic, hiemis casus horrendaque nubila vitans,
omnis in adversis rebus amicus abest;
delicias veris sequitur, sed tempora brume
deserit, ablato remige, falsus amor.
Vultur edax, corvusque niger, presagaque cornix
ventris ad ingluviem semper adesse parant.
Leccatrix mel musca, lupusque cadavera; sic nunc
predam, non homines, gens parat ista sequi.
Vilis amicitie species, quam quelibet hora,
quam variis variat fluctibus orba dea.
Si tales olim Eurialus Nisusque fuissent,
non durasset eis ille perhennis amor.
Verus amor miserum non dedignatur amicum:
vera fides tantum nescit amena sequi.

116 nugor, *gl* M^1 *derideor.* — 125 quis vocer V *edd.* — 127 quod magis est et amici *edd.* — 129 stabat *edd.* — nimis comitabar U Lu L^1, nimiis V R^2 S, nimium A, multis sociabar *l.* — 131 philomela *edd.* — 135 tempore (M^1) R^3 M^2 *d.* — 139 leccatris querit mel musca A, sectatur mel musca *d m*; leccatrix mel musca, *gl* R^2 *parat sequi.* — 141 quelibet aura V A Lu (L^1) *edd.*

Participat flores et grandem grandinis iram
  inconcussa fero turbine vera fides.
Taliter unanimes loquitur scriptura sodales
  quos strinxit vero vimine verus amor.
Prevalet hoc solo mala sors quod monstrat amicos,
  qui bene, qui male: sic monstrat utramque fidem.
Ut fornax aurum, navem mare, mucro catenas,
  sic gravior corda casus amica probat.
Nam citius sotiis sotiabitur unica fenix,
  atque lupis citius pace fruetur ovis,
et prius Arturus veniet vetus ille Britannis,
  quam ferat adversis falsus amicus opem.
Job, collata meis, angustia vincitur, inde
  quod coniux fuit et trinus amicus ei.
Ast ego desertus non illam cerno, nec illos:
  me preter nichilum constat habere nichil.
Si Codrus foret hic, essem nunc codrior illo,
  nam nichil hic habuit, ast ego plura nichil.
Tot mea sunt quod non sine me regina iaceret:
  si foret hoc verum pauper ubique iacet.
Temporibus cunctis ieiunus prosperitatis,
  morte minante, minis asperiora gemo.
Ver dedit inditium, febrem mala contulit estas,
  nutriit autumpnus, frigida pascit hiems.
Nocte dieque malum me sciphis potat amaris,
  ut vigeant in me gaudia nulla mei.
Luce queror, lacrimas fundo, suspiria ructo,
  scindo genas, plango pectora, rumpo comas.
Colloquium turbe tamen est solatia luce,
  et minuit penas lectio crebra meas.
Nocturna longe minor est angustia lucis,
  que mea multimodo corda dolore ligat.

152 qui male sit *l.* — 153 mare navem L^1 *edd.* — 156 fruentur L^1 *edd.* — 156-7 *ordinem permutaverunt* C V. — 157 Britannus C V L^1 S. — 163 Codrus, *gl* M^1 *fuit hic pauper vir*, hic *om* M^1 U. — 165 tot mea *gl* V R^2 *mala*, tot mea sunt mala C. — regina, *gl* M^1 *paupertas.* — 166 hoc verum, *gl* V R^2 *quod dicit Ovidius*; *v. 166 om.* Lu. — 167 prosperitate R^1 *f.* — 169 initium mala sed mihi contulit aestas *l.* — 170 nutrit R^1 M^2 S, nutrit me (M^1), autunnus nutrit V *m*, nutrit et Lu B L^1 *l.* — 178 mea non minimo *l*, rigat A Lu B, gravat L^2 *f.*

Nocte furit Furiis nimium Furor impius in me,
qui mea maiori vulnere corda forat.
Nocte gemo gemino gemitus cumulusque dolorum
crescit, corque coquit crebra gehenna meum.
Ve michi! sermo meus mea fabula crebra dolenti,
dum tali mecum voce dolendo loquor.
Sevit et innumeris cor lanceat ira sagittis
penarumque fero turbine turba furit.
Volvor et evolvor, lectus, bene mollis, acutis
urticat spinis tristia membra meus.
Nunc nimis est altum, nimium nunc decidit unquam
pulvinar, medium nescit habere modum,
Nunc caput inclino, nunc elevo, parte sinistra
nunc ruo, nunc dextra, nunc cado nuncque levor,
nunc hac, nunc illac, nunc sursum, nunc rotor infra,
et modo volvo caput qua michi parte pedes.
Non ita stare queo: surgo lectumque revolvo;
sic modo volvo pedes qua michi parte caput.
Nec sic esse queo: proprio, maledico clienti
quod male cum lecto me facit esse meo.
Vocibus iratis insontem clamo ministrum:
huc, miser Ugo, miser, huc, maledicte, veni.
Quid facis, Ugo? iaces? Lectus meus iste quid est hoc
quod male cotidie sternitur? Unde locus?
Tunc ipsum colaphis et pugnis verbero duris
et sibi quod patior verbere vendo malum.
Volvit et evolvit plumamque reverberat ulnis
et modo que tulerat vindicat acta puer.
Tunc iterum iaceo. Dormire puto. Nichil est quod
uno momento firmiter esse queam.
Sic solet arboreas Boreas evolvere frondes,
sic rota mortales, sic aqua seva rotam.
Nunc calor ignitus, nunc frigus membra gelatum,
nunc, hostilis ei, sudor aquosus habet.

180 vorat *l*, ferit R^1 (A) *m*, ferat V. — 182 *om* V. — 184 dolenda *l*. — 185 sevis L^2; lacerat C A V R^3 S, lancinat *m*. — 187 lectus non mollis *d*. — 188 mea *d*. — 195 nec sic esse queo *d*. — 197 propero maledico clientem *edd*. — 200 nunc miser M^1, hunc miser U, heu miser V; Ugo veni tu A, Hugo veni huc *edd*. — 203 diris R^1 R^2 U *l*. — 205 revolvit A Lu L^2; plumasque L^1 R^1 *edd*. — 209 evellere *l*. — 211 ei, *gl* R^2 *frigori*; eis *edd*; adest *d*.

Tunc gemo, tunc oculi lacrimas, sua pocula, potant,
immo vomunt, gemino fonte rigante genas.
Si sopor irrepsit, quod rarum, sompnia ludunt
multimodis animos motibus egra meos.
Mergor in Oceano, tenuem taxillor in assum,
armatos video currere sepe deos.
Flumina parva fluunt, aret mare, corruit Athlas,
et geminas fortes concutit orbis aves.
Sum velut implumis quam rodit in ilice cadmus,
que diro matrem carmine clamat avis.
Sum velut esuriens qui sompniat aurea tecta
usibus et vestes pauper habere suis.
Sum velut expectans properantem rusticus amnem,
qui cupit excursis pergere siccus aquis.
Sum velut elusus quem detinet alea lusor,
qui cum perdiderit perdere plura parat.
Sum velut insanus qui, cum plus leditur, hic plus
fustibus et iactu liberiore furit.
Ha nimis infelix qui sustinet innumeranda,
qui patitur numeris omnia plura suis.
Tot mala, tot penas patior quod, si quis arenam
conferat in numero, cedet arena meis.
Pagina sit celum, sint frondes scriba, sit unda
incaustrum, mala non nostra referre queant.
Tam gravibus ledor quod non peiora timesco:
qui summe miser est plus nequit esse miser.
Sit maledicta dies, in qua concepit et in qua
me mater peperit, sit maledicta dies.
Sit maledicta dies qua suxi pectus et in qua
in cunis vagii, sit maledicta dies.
Sit maledicta dies vite: de ventre sepulcro
me transmutasset, o Deus, illa dies!
Cum dabat ubera mater, ne mala tanta viderem,
debuerat iugulis presecuisse caput;

216 mortibus M[1] C Lu R[1]. — 217 in Oceanum *m.*; taxillor ad assem R[3] S *edd*, taxillor in assum *gl.* V *quandoque sonnio ludere cum taxillis et proitio tantum assum*, « trago un piccolo asso » *b*, « io getto i dadi in asso » *a*. — 219 Athlas *gl.* U Lu V *Federicus imperator*. — 220 *gl. in marg.* U Lu *alamannus et siculus vel Federicus et papa Alexander*. — fortis L *m*; ales *l*. — 229 hoc M[1]. — 232 patitur meritis *d*. — 234 in numeris C R[3]; cedit C, cedat *l*; arena maris A. — 241-2 *om* M[1].

mortua nam melius ascondere membra sepulcro
  quam vivendo pati deteriora nece.
Omnia coniurant in me. Pater alme, misertus
  succurras misero, spes mea, summe Pater.

Plange, miser, palmas, Henrice miserrime, plange,
  et caput et dura pectora plange, miser.
Me sibi privignum Rannusia dira, noverca,
  ardet in horrendis perpetuare malis.
Est Fortuna michi serpente neronior omni,
  nam serpens fugit, at sepius illa fugat.
Quando michi tribuet sors prospera prosperitatem?
  non hodie, nec cras, quod puto, forsan heri.
Cum me blandifero respexerit alea vultu,
  Arne, retro properans fonte recurre tuo.
Quam male fructificat que nunquam floruit arbor!
  Spes quoque messis abit cum male germen obit.
O pudor, o timor, o dolor, o mala tedia vite,
  o comes assiduus plusque furore furor!
Quid faciam? Vos hoc mea dicite turba dolorum,
  nam vos auxilium consiliumque meum.
O Deus, o quare subito Fortuna rotatu
  cuncta molendinat mobiliore rota?
Sors mala, sors peior, sors. pessima, sorsque maligna
  facturam turpi protheat arte tuam.
Hanc, Pater, hanc animam, misero quam carcere trudis,
  hanc lacrimis plenam suscipe, redde polo.
Alme parens, animam, quam Pene turma flagellat,
  suscipe quam stigiis tritat Erinis aquis,

Explicit prima distinctio incipit secunda U V. — ***Finitur primus liber incipit hicque secundus l.*** —

post. **v.** 250 ***hi sequuntur in*** (A³) ***l et post v. 252 in*** L² «Omnia coniurant in me tu Kirieleison | succurras misero summe creator ymas» — 253 me sic *l*, falsa noverca A. — 257 sors aspera R⁴ L². — 258 sed puto Lu — 259 respiciat V. — 262 abest *l.* — 265 malorum V R³ S *l.* — 268 molendinat *gl* R² *volvit ad modum molendini.* — 270 facturam .... arte tua M¹, factura .... arte tuam L², suam Lu *edd.* — 271 O pater *l*, animam quam carcere trudis in isto A, misera quam carne recludis L¹ *edd*, corpore trudis L². — 273 alme pat' M¹; pene *gl* V *penarum.* — 274 stygiis occat *l*; equis V (C), «l'Erinna colli cavalli di Stige ora trita» *b.*

quam ferit Alecto, quam Thesiphoneque fatigat,
cui Fortuna nocet quave Megera furit.
Ergo pium pietas te reddat, ut impia cesset
Alecto, miserum que lacerare sitit.
Tu quoque, vesani prontissima çausa doloris,
asculta et celerem, perfida, siste rotam.
Verberibus preceps diris, fortuna, quid est hoc
quod caput affligis, insidiosa, meum?
Quo rapis, o fera, me? Cresum facis, impia, Codrum,
Nestora Tersitem, turpius ausa nefas.
Nunquid ego Scarioth? Nunquid sum Pontius, unde
tam graviter merui tanta flagella pati?
Stulta, quid insanis? caput hoc caput hoc quid acerbas?
pone modum sceleri, perfida, pone modum.
Deficiunt alii? me solum sola fatigas;
sed videas quid agas, ultio rara perit.
Prospice ne tua te Penarum turba sagittet,
nam ferit auctorem sepe sagitta suum.
Heu quid agis, quid agis? quid me, quid, perfida, perdis?
pone modum sceleri perfida, pone modum.
Dic mihi, quid feci? responde, lingua dolosa,
responde per eum qui super astra sedet.
Si nobis, vesana, tui, si copia detur,
dilacerata, feris turpiter esca fores.
Quis furor? unde furis? quid me, furiosa, lacessis?
Pone modum sceleri, perfida, pone modum.

Talibus orba suas dictis dea prebuit aures;
hec ait et celerem circinat ipsa rotam:

Quid mea mordaci laceras vaga facta Camena;
quem fore plus misero plusque dolente dedi?
Nonne meo mundi clauduntur regna pugillo?
nonne meum regnum climata cuncta tremunt?
Grecus et Ebreus, et Barbarus atque Latinus
me timet, exhorret, me veneratur, amat.

275 Aletho U V R^1 Thesiphon eque R^1 *m.* — **276** quamve L^1 (L^2), quamve Megera ferit *edd.* — **280** ausculta R^1 *edd.* — **282** invidiosa Lu B — **290** agis C U; raro *l.* — **292** actorem Lu R^2 S — **295** tibi quid C U (R^1). — **300** *om.* V. — **302** circinat, *gl* L *circuit.* — **308** et horret R^1, exorat V (A) R^3 S *l.*

Nonne potestates mundi mundique minora
  imperio cogo subdere cuncta meo?
Nuper Alamannus, Siculam delatus in oram,
  ludendo feriçam perdidit ipse suam.
Perdidit hic equites, rochos peditesque minores,
  perdidit, et calvis vix bene tutus abit.
Meque Saladinus, nimium vexilla salutis
  expugnans, hostem sentiet esse suam.
Quid referam veteres quorum fert fama ruinam?
  mater Pompeio, deinde noverca fui.
Ubera sic Dario, post verbera; mellea Cyro,
  fellea post, nutrix ingeniosa, dedi.
Tu quem fama silet, quem noscit dedecus, iram
  obprobriis laceras, obprobriose, meam.
Quidve minas agitas? Reus es pro crimine lese
  Maiestatis, et hoc tota propago luet.
Prospice quid facias, nondum perit omne venenum,
  et mea vis nondum desinit esse mea.

Que peiora potes, meretrix fortuna, noverca
  pessima, Medea dirior, Ydra ferox?
Deveni ad nichilum: restans michi spiritus ossa
  non habet, in quo nil hec tua probra valent.
Morte nocere putas? foret hec michi vita salubris:
  duplicior mors est morte carere mihi.
Quam letus, quacunque Deus donaverit hora,
  suscipiam. Post hanc stercus in ore tuo.
Quid totiens varias sumis, furiosa, figuras:
  nunc alacris rides, nunc lacrimosa gemis,
Florida nunc, nunc sordida; nunc nigra, nunc rubicunda;
  Aurea nunc, nunc es sordida facta luto.
Protheus esne, vagusne movet tua viscera ventus,
  vel tua diabolus viscera crebra movet?

309 minores R^2 M^2 S *edd.* — 310 subire V, subdere colla *edd.* — 311 Alemannus *gl* V *Henricus imperator*; sicula ora V U. — 312 feriçam *gl* L^1 V R^2 *id est uxorem*, M^1 ferinçam *gl. donna.* — 313 peditesque bovesque *l*; rochos *gl* M^1 *baroni*, V *archiepiscopos*, S *duces.* — 314 calvus $(A)^3$ S, *delevit* R^1, calvos L^2 calphos *edd.*, calvis *gl.* V *sapientibus viribus qui stant iuxta regem et reginam et non multum valent in bello.* — 316 sentit et esse suum Lu. — 320 vitrix A, victrix R^1 L^2 — 329 ad nil deveni U; ad nichilum deveni C V A L^1 L^2 *l*, deveni ad nichilum M^1 B^1 R^3 M^2; nunc spiritus C V R^3 M^2, mihi sp. M^1 vix sp. (M^1). — 331 salutis *l.* — 332 dupliciter *l.* — 333 quamcunque - - - horam U A. — 336 yllaris rides Lu, ilaris B. — 337 s. aurea - - - florida L^1 *edd.*

Semper es inconstans, vaga, mobilis, aspera, ceca,
instabilis, levior, perfida, surda, fera.

Tunc ea subridens: O quanto pulvere noctis
humane mentis lumina ceca latent!
Nunquid obaudisti? sermones ponderet unus
quisque suos: sapiens cogitat ante loqui.
Legibus indictis utor; si legibus, ergo
iustis; si iustis, iure; fit ergo bene.
Nonne sua licite sic quilibet utitur arte?
quod sibi sors dederit utitur omnis homo:
miles equis, piscator aquis et clericus ymnis,
nauta fretis, pugiles Marte, poeta metris.
Rusticus asper arat, numerat mercator avarus,
virgo legit flores, stultus amator amat.
Ast ego, que dea sum, qua nulla potentior orbe,
quem ligat Occeani circulus orbe suo,
nonne meam licite, stultissime, prosequar artem?
sic opus est ut te precipitando rotem.
Ergo vide quid agas. Sapiens deliberat ante
quam faciat; sic tu premeditare, miser.
Ha genus humanum mea quantis asperat acta
morsibus, atque meum dentibus occat opus!
Si sibi divitias digitis porrexero laxis,
laudibus extollor imperialis ego:
tunc ego summa parens et tunc regina verenda,
tunc dea summa, deo preferor ipsa Iovi.
Sed si forte meam retinentem clausero dextram,
morsibus et stimulis mordeor ipsa feris:
tunc ego periura, tunc turpis adultera dicor,
tuncque sacerdotem me vitiasse ferunt.
Tu modo; sed quare me dentibus asper acutis
infelix laceras colloquiisque tuis?
Arbitrio loqueris, nam iuris pondus abhorres
et dedignaris de ratione loqui.

345 ponderat Lu. — 356 *om* U. — 359 gaude quid M^1 — 362 occat, *gl* M^1 *momordit*. — 363 tibi M^1 R^1 M^2 *m*. — 364 extollar *edd*

Se docet iniustam causam partemque tueri
qui solis probris certat iniqua loqui.
Sic solet ignavus, cum desunt verba, sophysta
garrulus, ut videant voce tonare sui.
Sic quoque, cum desunt tibi iura, recurris ad ipsam,
quam bene novisti, garrulitatis opem.
Ergo si qua tuis, quod non puto, mentibus herent
iusta, refer; vel tu, quod magis oro, sile.

Tunc ego: Vesanum, meretrix Rannusia, monstrum,
num licet hoc solum verba referre michi?
Tu facis et dicis: laceras me, perfida, factis,
improperas post hec facta nefanda michi.
Nunc scio de facto quod semper culpa redundat
in miserum, qui non unde tuetur habet.
Lis quotiens oritur aquilas atque inter olores,
culpa solet minimis semper iniqua dari.
Sic quotiens certant Acteon rexque ferarum,
pessima qui minor est iura fovere ferunt.
Et quotiens rabies sevit Germanica Tuscis,
oppida testantur lenia, fracta, fidem.
Tu quoque me. Sed si vim vi depellere possem .
vel taceas, tua vel partior ira foret.
Cautius ergo tuas satyras, inimica deorum,
insere, vel tibi que sunt recitanda vide.
Nam male castigat sotios quem crimen eadem
labe premit pariter quam removere studet.
Sic Paris Egidem, sic Lucius ille Cethegum,
sic quoque retrogradum mater aquosa suum.
Non igitur studeas alios dampnare quod in te est,
ne cadat in barbam pena pudenda tuam.
Nam fatuum nimis est aliquem dampnare seipsum,
quod tibi ne facias, litigiosa, cave.
Tu levis et leva, tu preceps, tu furiosa,
tu ratione carens nescis habere modum.

375 sed *l* decet C R^1 M^2 dc̄et M^1 — **377** ignarus *edd.* — **378** sui *gl* M^1 *alumni.* — 384 non U C L^1, nonne A, nunc L^2; hec R^3 *edd.* — 391 ateon rexque M^1 *gl cervus leo.* — 392 fovere queunt V, f. solent *d.* — 394 levia U A; fide M^1 M^2, fractam fidem A, fides *edd*; *gl* Lu *sinodoce .i. habentia fractam fidem imperatoris.* — 397 *om* A. — 398 reticenda *edd.*

Me feris inque furis, laceras me meve lacessis,
et latus et latum destruis omne meum.

Tunc ea: non unum mecum lucrabere nummum,
qui dominam queris dedecorare tuam.
Namque suo servus domino luctando repugnans
calcitrat in stimulum perfidus ipse suum.
Discant mortales dominos proprios venerari
nam qui fraude nocet, fraudibus ille perit.
Nunquid Alexander, nunquid tu Cesar es? unde
tanta superbia, vel tantus, inique, furor?
Tu quis es? unde furis? Te scimus et unde fuisti,
que sit origo tui quique fuere patres.
Te decet horrendis versare ligonibus arva,
quod genus agresti postulat arte tuum.
Et quis es? unde venis? cro, cro, vesane, recede
et geme perpetuum perpetuumque late.
Quicquid agas, quicquid dicas, quicquid patiaris,
non facis ut retrahas quod mea dextra trahit.
Sic ego primatum venerandaque sceptra tenebo,
et pro velle meo mel tibi felque dabo.
Tu formica brevis, mus parvus, nanus inanis,
quid michi quid facies, nane pudende? Nichil.
Nil tua probra, minas, generalis yconoma rerum,
curo, sed in cathedra glorior ipsa mea.
Non minus unguipotens volucres, leo papiliones,
nec Polis angustum Tibur avara minus,
nec minus archivolans tremulas generosa cicadas
quam tua, vaniloquax, verba minasque tremam.
Quid tua sanna potest? si quis derisor, et ipse
derisus turbis omnibus esse solet.
Nictimene sonitu deridet nocte volucres,
nunquid eam lacerat cetera turba die?
Sic qui derident alios ridentur et ipsi:
nil magis in populis est generale, nota.

409 tu feris M^1; inique A R^1; atque furis *edd*; laceras mea membra lacessis L^1 *edd*, meque lacessis R^1 R^2. — 416 qui fraude ferit R^1. — 421 versare *d*, vexare *codd*. — 426 facit Lu L^1 L^2 *l*. — 430 tu facias gnane *l*. — 434 polus angustum Tiber A, Polus V, *gl* V R^2 *Roma*. — minus, *gl* U *sc. tremit*, (A) *alias timet*. — 435 archivolans *gl*. M^1 *aquila*. — 436 vaniloquax R^1 L^2, vaniloquas M^1 A Lu V, vaniloquis C, vaniloqua L^1 *edd*. — 439 noctue sonitu derident A. — 441 deridentur A Lu.

Ergo quiesce, miser; miser, ergo quiesce, quiesce,
  nam leve verba potes ferre, sed acta gravant.

Tunc ego: deliris stomachor, Rannusia, dictis,
  dum michi probra tuis obicis, orba, metris.
Dum mea veriloquis recitas convitia verbis,
  nil gravius vero sevior ira tenet.
Non opus est verbis, gladio qui percutit hostem,
  nam satis ad vulnus sufficit ensis atrox.
Improperasne michi genus? usuraria, monstrum,
  fronte capillata sed retro rasa caput.
Simia non es, turpior es, turpissima rerum
  res es, nescio quid, quam nichil esse velim.
Sim licet agresti tenuique propagine natus,
  non vacat omnimoda nobilitate genus:
non presigne genus, nec clarum nomen avitum,
  sed probitas vera nobilitate viget.
In tenui calamo latitat mel sepe suave,
  et modici fontis temperat unda sitim.
Nil tremis. Unde locus? Bucifal sepissime muscis
  et formicarum sepe fit esca lupus.
Nil adeo validum quod non quandoque teratur,
  hoc et ab invalido sepe videre potes.
Vomer humo, lapis unda, pollice gemma, quid ultra?
  sepe quod est solidum frangere molle solet.
Non semper Marium, nec semper sepe rotatum
  volvis Apollonium: fortior alter erit,
qui redimens mea probra fero pugnabit agone
  et tibi forsan atrox auferet ille caput.

Tunc ea: Pacificis loquar ex ratione loquelis,
  si placet et mecum pacificare velis.
Despicerer nimium si starem semper eodem,
  vel bona, vel mala, vel inter utrumque manens.
Omne quod est crebrum nimio sordescit in usu,
  omne quod est rarum carius esse solet.

443 ergo nunc requiesce M^1 R^1 — 444 grave L^1 *edd.*, greve A. — 447 uīloquis M^1, vaniloquis *l.* — 457 avorum L^1 A *edd.* — 466 validum L^2 R^3 S *d.* — 475 nimio vilescit C.

Pulegio piper est generosum vilius Indis,
  vilior herbicolor cautibus iaspis ibi.
Carior est grisea gelidis clamis aspera Gotis
  qua fera carnificis dextera nudat ovem.
Bononie claro plus milite carus habetur
  clarus et horrendus, Marte furente, pedes.
Non adeo potes ipse queri: tibi sepe benigna,
  et quamvis nunquam prodiga, larga fui
Nunc ego, nunc tibi proposui clementior esse,
  si libet, et mecum pacificare velis.

Absit, iniqua canis, me tecum pacificare,
  sed tibi pacificet, seva, Brunellus iners;
nam tibi nulla fides, nullus modus, ordine nullo
  vivis, et est socius pro ratione furor.

Tunc ea: iudicio non tecum stare recuso,
  ut videat lex hoc iustiniana scelus.
Si bene dicis, habes quod abest, ius et rationem;
  si male, preceptis ergo quiesce meis.

Ni melius quam iura scias, ignara, rotatus,
  staret quem giras orbis in orbe tuo.
Sistere iudicio furiosi lege vetantur,
  ergo tibi ius, cum sis furiosa, vetat.

Tunc ea: vade, ferox; hostis meus esse memento.
  Tu quoque vade, hostis esse memento mea.

Cum mea lamentans elegiaca facta referrem,
  et cum Fortuna verba inimica darem,
ecce nitens proba, que salomonior est Salomone,
  ante meum mulier lumen amena stetit,

Explicit secunda distinctio, incipit tertia U. — ***Finitis binis libris ternum sociemur*** ***l.***

478 iaspis R^1, raspis A, yaspis L^2 R^3 M^2 S, aspis *ceteri*. — 480 carnificum V ***l.*** — 481 clarus habetur M^1 M^2. — 485 sit tibi propono V ***d. l.*** — 486 ut mecum *d.* — 488 se M^1 R^1, — 493 quod habē M^1 A, habere vis R^1. — 495 ignava U C L^1 R^1 M^2 S *l. m.* — 501 elegia U R^1, eleica A, eleyaca L^1 — 502 fortune L^1 *edd.* — 504 meum mater ***l.*** — limen *m.*, — 505 elevat A U R^1 M^2 B ***l***, ***gl*** R^2 ***pulcram facit ut helena.***

quam facies helenat, variat quam forma vicissim:
nunc celum, nunc plus nunc capit illa solum.
Hanc Fronesin dictam septena cohors comitatur,
prebuit officium cuilibet illa suum.
Prima fovet pueros, alia silogizat, amenat
tertia colloquiis, perticat illa solum,
hec abacum monstrat, alia philomenat, et altum
erigit ad superos septima virgo caput.
his predicta dea sedit comitata deabus,
et quasi compatiens mis patientis ait:

Que lethea tuus potavit pocula sensus?
quo tua dormitat mens peregrina loco?
Certe cecus es et tua mens exorbitat: illud
tantillum nescis, quod scola docta dedit.
Heu quantum pateris! De sola mente dolesco,
quod tuus hoc peregre tempore sensus abit.
Si foret hic Ypocras et tota medela Salerni,
— morbida vel non — vix mens tua sana foret:
nam nequit antiquum medicina repellere morbum,
quodque diu crevit durat in esse diu.
Heu doleo super hoc, quod mentem perdis et omni
brutescis sensu, bestia factus homo.
Quid tibi cum lacrimis? Lacrimarum copia nullum
participem voti debilis esse facit.
Qui gemit ingeminat sua dampna, dolore dolorem
ampliat et duplici funere vivus obit.
Quid tibi et iniuste Fortune? Multaque semper
passus es obprobrii vincula propter eam.
Vis ipsam non esse vagam? natura repugnat,
que dedit instabilem semper et esse vagam.
Seminat in spinis nature iura retractans,
garrula divelli rana palude nequit.

510 practicat *m* perticat, *gl* M^1 *geometrica.* — 511 philomenat *gl* M^1 *musica.* — 512 septima virgo *gl* M^1 *astrologia.* — 514 ius patientis *edd.*, mis patientis *omnes codd. d, gl* U mis *pro mei* «di me afflitto» *a,* «di me doloroso» *b.* — 517 idem *edd.* — 521 tota medela, *gl* M^1 *tota medicina.* — 522 morbida vero U, morbida vel non vix M^1 R^1 M^2, non vel *cett.* — 528 debilem esse A L^1, debilem at esse facit *d m.*

Qui cupit auferre naturam seminat herbam,
cuius in Arturi tempore fructus erit.
Te nimis aura rotat nimiumque moveris amaris,
et nimium stolidum te facit esse dolor.
Non hominem redolens hominis denigrat honorem,
qui nequit adversis prospera iuncta pati.
Utitur, ignare, dulci, non usus amaro;
namque per oppositum noscitur omne bonum.
Disce gravanda pati, patientia temperat iram,
et duros animos mentis oliva domat.
Nonne recordaris veluti, stimulante tyrampno,
moriger innocua Seneca morte perit?
Nonne meus Severinus inani iure peremptus
carcere Papie non patienda tulit?
Nonne cupidineus metrosus Naso magister
expulsus patria pauper et exul obit?
Quid referam multos, quorum sine crimine vita
verbera Fortune non patienda tulit?
Silva capillorum numeratis cederet illis,
quos necis inmunes inclita vita dedit.
Aspera ferre decet; maturant aspera mentem:
et bene matura plenius uva sapit.
Per nimios estus gelidas transitur ad umbras,
sicque per oppositum dulcia querit homo.
Laurea pro pena, pro morte corona resultat,
unde laborat homo premiat inde labor.
Quid facis, inmunde, mundique inmunda quid optas?
inmundus mundus que tibi munda dabit?
Vivere, stulte, putasne per omnia secula? per te
factus es insanus credulitate tua.
Insani sane capitis gravitate laborat
qui putat hoc mundo vivere posse diu.
Sensus abit tuus et tuus intellectus oberrat,
et tua letheis mens peregrinat aquis.

538 semine M^{1}, in Arturi t. *gl.* V *nullo tempore.* — 542 cuncta V. — 546 oliva, *gl* R^{1} *patientia,* V *humilitas* — 547 tyranno, *gl* R^{3} *Nero.* — vv. 551-4 *om. et in marg. adiunx.* A R^{1}. — 551 cupidineus, *gl* R^{2} *quod de cupidine tractavit.* — 552 abit M^{1}. — 565 perfe M^{1} Lu L^{1} L^{2}, *gl.* M^{1} *per fidem*, per se U, perfer B. — 566 capitis gravitate, *gl* L^{3} *opinionis gravedine.* — 568 hic A R^{1}. — 569 abiit Lu L^{2} R^{1}, abest *edd.*

Dic, ubi sunt que te docuit Bononia quondam?
  hec, ego, dic, ubi sunt que tibi sepe dedi?
Te multum fovi, docui te, sepe rogavi,
  et mea secreta sepe videre dedi.
Tu mea vitis eras, tu palmitis umbra novelli,
  tu fructus validam spem michi sepe dabas.
Te rastris colui, te sepis vimine cinxi,
  et lapides ex te et cuncta nocenda tuli.
Tempus adest fructus, vitis dedit ipsa labruscas,
  proque rosa crevit aspera spina diu.
Heu cadit in spinis quod ego in te semino semen,
  et mentem spina suffocat ipsa tuam.
Quod loquor et moneo, quod semino suscipit ipsa
  que male multiplicat semen arena suum.
Tu nimium tuus es, nimis et tibi credis, inepte,
  et solus credis providus esse Cato.
Phylosophus nimis es nimiumque platonior ipso,
  ultra phylosophos mens tua sepe fluit.
Absque labore sequi (pitagorica cornua cerne)
  virtutem dextro limite nemo potest.
Est alia furca facilis descensus Averni,
  ut docet archiloqua voce poeta Maro.
Non sine sudore probitatis scanditur arbor,
  nec sine sudore martia palma venit.
Laudo te, sed in hoc non laudo quod ipsa caduca
  aufugisse citis gressibus orbe gemis.
Pro dolor. Unde doles? dolor. Unde times? dolor. Unde
  ploras? Que tua sunt, o miseranda cinis?
Primitus in mundo tecum tua quanta tulisti?
  Nudus eras primo et postea nudus eris.

Tunc ego: Mira refers. Quid et hoc est, vera sophya
  quod dicis? nimis est hic mihi sermo gravis.

573-4 *om.* U C A Lu V R^1 S, *addidit post 576* (A). — 573 docui te multumque **rogavi** (A). — **577** colui sepis ac vimine V, sepis (ac) munimine *l* m. — **580** spina **michi** *l*. — **581** in spinas *edd.* — 583 suffocat R^2 M^2 S *l*. — 589 cornua cerve L^1 *l*. — **590** limine V lumine *edd.* — **591** alia furca, *gl* R^2 *alia parte furce.* — **592** **archiloqua**, *gl* V R^2 *quod princeps dicitur poetarum.* — 602 quid L^1 *d.*

Quis modo tam mitis, tam dulcis tamque benignus,
quem nimis hec ultra non ferat ira modum?
Non ego, cum videam paleis postponere grana,
cum superet molles nunc saliunca rosas,
cum fructus hodie ante suos paret edere flores
arbor abortivis prodigiosa comis,
cum quod, grande nefas, tolluntur ad alta nefandi
et premitur vita deteriore probus.
Dic michi, qui mores, que vita, quis ordo Neroni
Urbis et orbis opes imperiumque dedit?
Ecce (sed id taceo) multi, probitate vetante,
nomen habent, quibus est nominis umbra pudor.

Tunc ea: Deciperis, nec te ignorantia iuris
excusat; nimis es, imperiose, rudis.
Quam gravis hic labor et quam magna industria mentis
noscere veraci cognitione probos!
Sepe bonos mendax mentitur opinio pravos
atque e converso promovet ipsa malos.
Omnis que niveo volucris plumescit amictu,
non est, si simulet, vera columba tamen.
Sepe sub agnina latet yrtus pelle Licaon,
subque Catone pio perfidus ipse Nero.
Econtra, bene scis, inter latet yspida mollis
tegmina sanguineo tincta rubore rosa,
tamque duces claros, Itacum prolemque Philippi,
membra perobscuros littera prisca refert.
Multa vides igitur, faleris circumdata fictis,
que se longe aliter quam videantur habent.
Iniustos habuisse doles fastigia rerum,
longa tibi status hic causa doloris erit.
Quam sit ad alta trahi miserum mortalibus omen
nescis; si scires hoc siluisse velis.
Promovet iniustos Fortuna volubilis, ut quos
scandere precipites fecit, ad ima rotet;

608 abortivus A V R[1]. — 609 cumque M[1] C A, cum quod est Lu R[1]; ad alta *d m*; superbi U. — 613 sed id taceo, *gl* R[2] *color rhetoricus occupatio.* — 614 pudor, *gl* M[2] *si cognoscerent se.* — 623 yrtus M[1] Lu R[1] intus C L[2] yrcus V A, ircus L[1] hircus *l m.* — 627 nanque C. — 532 quamque sit alta Lu, atque sit alta A.

nam graviore ruit turris tumefacta ruina,
et gravius pulsat alta cupressus humum.
Mens hominum quantis errorum ceca tenebris
mergitur, ut reputet sola nefanda bonum.
Non felix qui non ubi crescat honore, sed hic qui
non ubi decrescat, quo neque possit, habet.
Ve tibi, ve, mortale genus, quod semper ad alta
niteris ut lapsu perfidiore cadas!
Hic gladios, hic pocula sevus et hostis et hospes
temperat, interitus dira venena sui.
Aspice, cui totiens Capitolia celsa triumphos
obtulerant, famulum fata tulisse suum.
Aspice quem Babilon cupido potavit in auro
fataque quam tulerit Cesar acerba suis.
Nonne ferox Macedon protectus ab hoste tyrampnus
Corda venenatus inter amica perit?
Quid Darium referam, quid Cyrum, quidve Neronem?
nam tenui semper omine pendet honor.
Ecce modernorum priscis exempla relictis:
paupertate nichil tutius esse potest.
Unicus ille leo, fidei vigor, unicus imo
murus et hostilis unicus ille timor,
dux ferus et nostre Corradus causa salutis,
(cur? — quia magnus erat) proditione perit.
Qui modo regnantes et fortes fregerat arces,
cui genus et census robora dura dabant,
nuper — ve misero sub paupertatis amictu! —
captus et inclusus Anglicus acta luit.
O cecum mortale genus. Quid tutius ergo
paupertate? Fere nil: nichil absque fere.
Vade per Yspanos, et nigros vade per Indos,
vade per insidias, vade per omne nemus,
vade per hostiles cuneos turmasque latronum,
dummodo sis verus, tutus, egenus, eris.

643 quid Lu, qui U R^1. — 645 saepius *d.* — 650 facta C M^1. — 651 Macedum M^1 U Lu R^2 V L^2 R^3, Macedonum A, *gl.* V *Macedum pro Macedonum.* — tyrampnus *gl* V M^2 *Alexander*. — 656 esse docent U Lu, docet B, decet V. — 658 et hostis erat *l.* — 661 qui nunc M^1, qui michi C, qui modo *gl* V R^3 *Richardus rex Anglie.* — 663 nuperrime A, nuperime L^1, nuper idem *l.*

Quid faciet vacuus coram latrone viator?
letus et intrepidus fundet ad astra melos.
Quid rutili torques, quid prosunt ergo thiare,
quid sceptrum, quid honos, quid loculusve satur?
Quidve magistratus et quid pretiosa supellex?
Paupertate nichil tutius esse potest.

Tunc ego: Scire velim, si non nimis esset honustum:
mundus an hic vene deterioris erit,
an proprium, quod amo, scelus, exuet an magis isto
quo iacet infelix stabit in esse suo?
Dic tamen — unde supra memini bene — cur retulisti:
« inmundus mundus que tibi munda dabit »?

Tunc ea: Vix umbram gerit hec: preludia rerum
solvere propositum luciditate queunt.
Nunquid ad argentum puro veniamus ab auro,
alter ab argento cursus ad era fuit?
Tertius in ferrum fit cursus ab ere, quod et nunc
decidit in, cursu deteriore, lutum.
Deficiente luto, quid erit? veniemus ad ipsum
stercus et in tali feteat omnis homo.
Ecce vides quantis putrescit sordibus iste
mundus, et hoc ipsum nomen habere nequit.
Omnia degenerant, peioribus omnia currunt
cursibus, et, fracto remige, navis abit.
Mundus amat, spernit, tenuat, sectatur, abhorret:
pessima, iustitiam, iura, nefanda, bonum.
Mundus alit fraudes, refovet scelus, arcet honesta,
recta fugit, violat federa, feda cupit.
Ipsa, caput mundi, venalis curia pape
prostat, et infirmat cetera membra caput.
Sacrum — cerne nefas nostroque pudentius evo —
venditur in, turpi conditione, foro:
crisma sacrum, sacer ordo, altaria sacra, sacrata
dona; quid hec ultra? venditur ipse Deus.

672 *om* C R, *addidit* (A). — 678 vitae *edd.* — 681 cum retulisti V *edd.* — 684 propositum, *gl* R^2 *propositam questionem.* — 685 veniamus V, veniemus R^3 B, venimus *ceteri.* — 689 venimus M^1 A L^2 R^1. — 694 obit L^2 *d.* — 700 *om* M^1. — 701 utrumque pudentius L^1 *m*; prudentius U C.

O sacra, que sacras maculant commertia sedes,
  o sacra que faciunt celica templa forum.
Tale, tuus mundus, si mundus iure vocatur,
  tale frequentatum sudat habere forum.
Ecce — sed ista pudet — circumvaga turba, scolares
  sectantur propria venditione forum.
Citra legis iter, pro, tam pretiosa propago
  venit servili conditione, dolor!
Libertas vitiata fugit, nunquanque vocari
  ingenium tale de ratione decet.
Ecce, nefas, sese, stimulante cupidine, nupta
  vendit et innupte contigit illud idem.
Si foret, ut quondam, Lucretia casta, crumena
  cum sibi porrigitur, cedet avara tibi.
Penelope, vidue sue mercenaria vite,
  ad nummi sonitus audiet illa preces.
Venditur, o dolor, omnificis sententia nummis,
  iudiciumque pium copia frangit opum.
Deviat a vero corruptus munere iudex,
  falsilocumque facit ius pia gaza pium.
Luxus edax livorque macer, cocus ardor habendi
  vastat opes, mordet optima, corda cremat.
Pestis adulatrix — pro! — ficto risula vultu,
  cuncta potest, satrapis delitiosa comes.
Ecce suo Pilades — scelus! — insidiatur Horesti,
  nuptaque sub proprium sannat iniqua virum.
Clericus edoctus, miles rudis et leve vulgus
  negligit, horret, alit: iura, modesta, malum.
Migrat in exilium virtus vitiumque triumphat,
  regnat et in populis grande tribunal habet.
Nescio quo ceco lenita papavere dormit,
  mensque creatorem nescit iniqua suum.
En iterum toto lingua crucifigitur orbe,
  en iterum patitur dira flagella Deus.

710 venditione, *gl* V R^2 *quia vendunt se magistris*, R^3 *se vedendo et dando se ipsos opere sodomitii pro pretio et mercede habenda.* — 714 talem M^1 L^1 L^2, ingenuum talem Lu S; docet L^1 L^2, ingenuam tali deditione docet *d m.* — 719 sue M^1 C, sua *ceteri.* — 724 pium *gl* R^2 *ironice.* — 725 livor marcer A; cecus C A Lu V L^1 M^2 S, cocus M^1 coquus R^1 R^2, coquusque U L^2, quoquit cec R^3, livor macer ardor coecus *d m*, malus ardor *l.* — 732 iura nefanda M^1 R^1,

Qui cupit auferre naturam seminat herbam,
cuius in Arturi tempore fructus erit.
Te nimis aura rotat nimiumque moveris amaris.
et nimium stolidum te facit esse dolor.
Non hominem redolens hominis denigrat honorem,
qui nequit adversis prospera iuncta pati.
Utitur, ignare, dulci, non usus amaro;
namque per oppositum noscitur omne bonum.
Disce gravanda pati, patientia temperat iram,
et duros animos mentis oliva domat.
Nonne recordaris veluti, stimulante tyrampno,
moriger innocua Seneca morte perit?
Nonne meus Severinus inani iure peremptus
carcere Papie non patienda tulit?
Nonne cupidineus metrosus Naso magister
expulsus patria pauper et exul obit?
Quid referam multos, quorum sine crimine vita
verbera Fortune non patienda tulit?
Silva capillorum numeratis cederet illis,
quos necis inmunes inclita vita dedit.
Aspera ferre decet; maturant aspera mentem:
et bene matura plenius uva sapit.
Per nimios estus gelidas transitur ad umbras,
sicque per oppositum dulcia querit homo.
Laurea pro pena, pro morte corona resultat,
unde laborat homo premiat inde labor.
Quid facis, inmunde, mundique inmunda quid optas?
inmundus mundus que tibi munda dabit?
Vivere, stulte, putasne per omnia secula? per te
factus es insanus credulitate tua.
Insani sane capitis gravitate laborat
qui putat hoc mundo vivere posse diu.
Sensus abit tuus et tuus intellectus oberrat,
et tua letheis mens peregrinat aquis.

538 semine M^1, in Arturi t. *gl.* V *nullo tempore.* — 542 cuncta V. — 546 oliva, *gl* R^1 *patientia,* V *humilitas* — 547 tyranno, *gl* R^3 *Nero.* — vv. 551-4 *om. et in marg. adiunx.* A R^1. — 551 cupidineus, *gl* R^2 *quod de cupidine tractavit.* — 552 abit M^1. — 565 perfe M^1 Lu L^1 L^2, *gl.* M^1 *per fidem*, per se U, perfer B. — 566 capitis gravitate, *gl* L^3 *opinionis gravedine.* — 568 hic A R^1. — 569 abiit Lu L^2 R^1 , abest *edd.*

Dic, ubi sunt que te docuit Bononia quondam?
  hec, ego, dic, ubi sunt que tibi sepe dedi?
Te multum fovi, docui te, sepe rogavi,
  et mea secreta sepe videre dedi.
Tu mea vitis eras, tu palmitis umbra novelli,
  tu fructus validam spem michi sepe dabas.
Te rastris colui, te sepis vimine cinxi,
  et lapides ex te et cuncta nocenda tuli.
Tempus adest fructus, vitis dedit ipsa labruscas,
  proque rosa crevit aspera spina diu.
Heu cadit in spinis quod ego in te semino semen,
  et mentem spina suffocat ipsa tuam.
Quod loquor et moneo, quod semino suscipit ipsa
  que male multiplicat semen arena suum.
Tu nimium tuus es, nimis et tibi credis, inepte,
  et solus credis providus esse Cato.
Phylosophus nimis es nimiumque platonior ipso,
  ultra phylosophos mens tua sepe fluit.
Absque labore sequi (pitagorica cornua cerne)
  virtutem dextro limite nemo potest.
Est alia furca facilis descensus Averni,
  ut docet archiloqua voce poeta Maro.
Non sine sudore probitatis scanditur arbor,
  nec sine sudore martia palma venit.
Laudo te, sed in hoc non laudo quod ipsa caduca
  aufugisse citis gressibus orbe gemis.
Pro dolor. Unde doles? dolor. Unde times? dolor. Unde
  ploras? Que tua sunt, o miseranda cinis?
Primitus in mundo tecum tua quanta tulisti?
  Nudus eras primo et postea nudus eris.

Tunc ego: Mira refers. Quid et hoc est, vera sophya
  quod dicis? nimis est hic mihi sermo gravis.

573-4 *om.* U C A Lu V R[1] S, *addidit post 576* (A). — 573 docui te multumque **rogavi** (A). — 577 colui sepis ac vimine V, sepis (ac) munimine *l* m. — 580 spina **michi** *l.* — 581 in spinas *edd.* — 583 suffocat R[2] M[2] S *l.* — 589 cornua cerve L[1] *l.* — 590 limine V lumine *edd.* — 591 alia furca, *gl* R[2] *alia parte furce.* — 592 **archiloqua,** *gl* V R[2] *quod princeps dicitur poetarum.* — 602 quid L[1] *d.*

Vespasiana manus iterum consurgat et omnem
  diruat Occeanum qui scelerata patrat.
Factorem factura suum, stimulante tyrampno,
  delicti factis despicit orba suis.
Inde fames venit, inde gravis discordia regnis,
  inde Cananeis preda cibusque sumus,
inde premit gladius carnalis spiritualem,
  et vice conversa spiritualis eum.
Hinc subitos Atropos predatrix occupat artus,
  nec sinit ut doleat peniteatque miser.
Iure vides igitur quod recta ligatio nectit
  «inmundus mundus» hec duo verba simul.

Hactenus unde dolor et que fomenta doloris
  vidimus, inventa perfiditate mali.
Nunc opus est morbum levis ut medicina refrenet
  atque hostem faciat hostis abesse suum.
Primitus insanas lacrimarum pelle procellas,
  quarum coniugio perditur omne bonum;
nam dolor accumulat vires, ubi planctus abundat
  Tristitiamque mali decuplat ipse sui.
Si mala dat planctus, malus est, hic ergo necesse;
  si malus, ergo nocet; si nocet, ergo fuge.
Contra merorem, cape gaudia, velle refrena,
  atque mali finem semper adesse puta.
Grata superveniet que non sperabitur hora,
  que compensabit fellea prisca favis.
Una serena dies multorum nubila pensat,
  et luteum tergit, quod facit unda, solum.

Explicit prima pars tertie distinctionis, incipit secunda U. — *Utiliter quartum debes hic discere librum l.*

740 oceanum *gl* V *totum orbem*; parat M[1] R[1] — 741 tyranno *gl* R[3] *diabolo.* — 742 delictis L[2] *d.* — 744 Cananeis *gl* R[3] *infidelibus.* — 747 subito C V S *edd.*; Atropos *gl* R[3] *mors.* — 752 doli *alias mali* U. — 753 lenis V *edd.* — 757 attenuat *edd.* — 758 duplicat R[1] R[2] M[2]. — 780 fugendo M[1], fugando fuge A, fugando fugam L[1], fugando fuga *d l.*

Fortunam dimitte vagam, permitte vagari,
  que nunquam stabili ludere fronte potest.
Contra Fortunam sis constans, sis patiens, sis
  ferreus adversi te neque frangat hiems.
Fortuna ridente gemas, plorante ioceris,
  ipsa sit auspitium tempus in omne tuum.
Cuncta rotat fortuna, rota qua cuncta rotantur,
  sic tenui magnus orbis in orbe perit.
Firmus in adversis, piger ad mala, tardus ad iram,
  promptus ad obsequium, tristis ad omne nefas.
Sis tibi discipulus aliisque magister, et intus
  sis tuus, extra sed totus alius eris.
Virtutem pete, sed vitium fuge, quod sit honestum
  quere, quod utile, quod turpe fugiendo fuga.
Amplexanda tibi, cleri thesaurus, honestas
  et ratio, populis heu modo rara comes.
Ne viscosa manus oleoque nec uncta sit, immo,
  inter utrunque tenens, respuat omne nimis.
Inter Democritum tristemque Demostena curre,
  inde statum libret virgo modesta tuum.
Stillet in ore favus, sed mente resultet oliva
  et non sit totus sensus in ore tuo.
Respue multivagos, stabiles sectare, caduca
  pensa, peccantes argue, siste leves.
Dicta minus sint, facta magis, sis parcus in ymnis,
  parcus in obprobriis, largus ad omne decus.
Factaque si desint, non desint verba benigna,
  nam multos caros mellea lingua parit.
Maiores sectare, pares venerare, minores
  instrue; vel iuvenes punge, vel unge senes.
Ebrietatis honus fuge, sperne Cupidinis antrum:
  exulat hinc virtus hec ubi iura tenent.
Sibila ne vulgi, nec dona retrograda cures;
  extra virtutem sit tua cura nichil.

776 obsequia Lu. — 782 rara fida comes A. — 783 viscosa, *gl* R² *avara*; uncta, *gl* R² *prodiga*. — 786 virgo modesta, *gl* V *modestia*, R³ *temperantia sive iustitia*. — 787 oliva, *gl* M¹ *humilitas*, R³ *liberalitas*. — 791 hinnis *gl* M¹ *laudibus*. — 795 patres *edd.*; maiores venerare pares sectare *f*. — 797 arcum *edd.*

Si petra sit glacies, quid ad hoc? magis utilis esset
  paganus tibi, quam claviger uncus homo.
Aurum plumbescit, quid ad hoc? et nectar acescit:
  quodque monarcha negat sepe tetrarcha facit.
Ergo Dei primo confidas in bonitate,
  et tua virtutum iure secundet eam.
Natura contentus eris; mala scandala vita,
  et tua consilium quelibet acta probent.
Ad tempus lusor, nunquam delusor, amicus
  semper sis minus in corpore, mente magis.
Sanctiloquos rimare libros, mansuesce rogatus;
  legibus insuda, nil nisi iusta refer.
Paucis dedecus, omnibus obsequium, caveas ne
  frons rugosa neget quod manus ipsa facit.
Qui decus oblatum rugosa fronte venenat
  plus mihi diabolo displicet ille dator.
Dona serenus homo carumque serenat amicum,
  atque datum facie duplicat ipse suum.
Nil nisi quod dederis promittas, namque trutanam
  esse facit linguam sepe ciragra manus.
Mallem te podagrum quam taliter esse ciragrum:
  invalidis pedibus auxiliantur equi.
Quod donare velis, dones sine spe redeundi,
  ne quod aperta dedit detrahat unca manus;
nam dator ablator cancrum gradiendo figurat,
  quem cancrum faciat dedecus esse suum.
Nec circa famulos te pessima consiliatrix
  concitet iratis vocibus ira gravis:
maior enim virtus clementer habere clientes
  quam quos maiores efficit ipse gradus.
Ne sis linguosus, nec in omni famine mutus,
  sed sola studeas utilitate loqui.

802 claviger uncus, «uno reminuto castaldo» *a*, «un ricco scarso» *b*, *gl* M^1 *avarus*. — 803 si aurum C Lu. — 805 porro confidas *l*. — 809 nequam *edd.* — 811 sanctilogos A R^1 R^2, sacrilegos V. — 819 trutanam, *gl* R^3 *mendacem*, R^2 *quod trutam promittunt et non dant*. — 823 dona Lu. — 825 redeundo A L^1, radiendo R^1, fugiendo C. — 829 clientes *gl* V *servientes*.

In te cognoscas alios: magis utile nil est,
  et magis urbanum nullus in orbe potest.
Ne sit amica tibi pregnans extensio ventris,
  est nimium miserum corpus hebere cibis.
Nulla minor virtus sotium quam vincere mensa,
  et sacco ventris equiperare peram.
Ipocrite vitium, Simonis contagia, que nunc
  clericus omnis amat sint inimica tibi.
Accusare cave, quem non accusat abusus
  ne, male procedens, tu patiaris idem.
Prospera non semper, nec queras semper amena,
  non semper dulcis lingitur ore favus.
Non omni pratum festivant tempore flores
  nec semper viridis purpurat herba solum.
Utere discretis, quibus inclita vita sit, unde
  iam nisi discretum sumere nemo potest,
namque bonis bona sed de pravis prava trahuntur:
  dulcia de dulci palmite vina fluunt.
Non rosa dat spinas quamvis sit filia spine,
  nec viole pungunt, nec paradisus obest.
Plus tibi sit carum mundum quam mundus, amicus
  quam sotius, quam sit sanguinis ipse gradus.
Ne nimium stolide te credas credulitati,
  nam plus quam Scarioth traditat illa viros.
Non magis Yconium Fredericum tradidit olim
  quam nunc credulitas suspitiosa suos.
Plurima sustineas: iungo medicamina morbis,
  ut multum morbum multa medela fuget.
Ut varias optant diversa negotia leges,
  sic varias fisicas invaletudo tremens.
Hee succos, hee semen amant, hee cortice gaudent,
  his coma, radices his medicina favet.

834 urbanus *edd.* — **836** est nimium L[1], est nimis, *cet.* nam nimis est *edd.*; habere L[1] L[2], ebrare R[1], hr̄ M[1], habere A U C V *edd.*, *gl* V *pigrum facere.* — **841** quae *edd.* — 845 festinant V Lu R[1] L[2] *l*, festinat A L[1] *m.* — 848 In nisi M[1], non nisi *edd.* — 851 quamquam spina orta sit illa L[1] *d m.* — 855 tu *l.* — 856 tradidit *l.* — 859 iungo M[1] U Lu R[1] B, virgo A L[2], iunge V L[1], iungas *edd.*

Freneticos malve, colicos absinthia curant,
  empicus anetum, lac quoque spasmus amat.
Sic non offitium celebrat quinarius unum
  sensus, sed propria quilibet arte viget.
Ille colores, ille sonos, sapit ille sapores,
  alter adoratus, alter amena sapit.
Tu quoque, quem nimio vitium deforme fatigat
  pondere, virtutum pocula plura bibas.
Sit tibi cara tui victoria plus aliena,
  et te plus aliis vincere marte stude.
Crede mihi, magis est virtute domare teipsum,
  quam vice Sansonis sternere mille viros.
Quemlibet offitiis — ne queras quis sit — honora;
  nam multos claros letus amicat honor.
Gressibus assiduis quisquis bene querit honorem
  reciprocis gradibus hunc quoque querit honor.
Blandus adulator et proditor impius, equo
  semper, dum vivis, sint in amore tibi:
nam naturali blanditor iure tenetur
  risibus et faleris proditor esse suis.
Fistula dulce canit, michi si non, crede Catoni,
  dum lira dulcisono carmine prodit aves.
Nec nimis astutis vulpescat lingua loquelis,
  nam dubiam pariunt vulpida verba fidem.
Neve tuum iactes alienum, deprecor, ymnum,
  ne volucrum sinodo nuda cachinnet avis.
Nunquam cervicem sine cauda pingere temptes,
  nam sine fine suo primitiare nocet.
Mutus ad obprobrium, surdusque ad murmura, cecus
  ad vanum, stolide claudus ad artis iter.
Ymnificet de te tua non, sed vox aliena,
  nam bene festivos stercorat illa viros.
Sit tibi plus inimica, noverca superbia morum,
  quam que Christicolas gens Saladina necat.

866 empticus *edd.* — 867 celebrant M^1 L^2. — 870 cupit M^1 (R^1). — 875 seipsum Lu A *edd.* — 878 caros M^2 S. — 884 faleris, *gl* R^3 *coopertis laudibus.* — 887 lingua venenis A. — 888 dubium L^1 L^2. — 890 nuda *gl* R^2 *deplumata.* — 892 principiare A.

Sitque magis solito tibi gustus amoris amarus,
nam scio, quod scio, quod tu fere stultus amas.
Quid tibi cum ganea? quid cum meretricis alumpno?
credis tu Paridi? stultus es atque Paris.
Spurius ille puer nullum suadebit honestum:
natus adulterio, semper adulter erit.
Quos heremitat amor, potius deremitat; et ipse
fac amet Yppolitus, mente Priapus erit.
Est fugiendus ob ista, fide ieiunus ab omni,
qui nimis orbiculat seque crumenat, amor.
Proscribas igitur gladiis et fustibus ipsum,
et fugiendo fuga quem fuga sola fugat.
Ne te pigritie consors dilatio tardet,
ad bona nam cupiens omnia tarda putat.
Nam mora denigrat donum meritumque minorat
sed cita grandificat munera parva manus.
Ne credas solos magnates esse timendos:
est fidus socius, est et amicus amans.
Maior honor Piladem carumque timere sodalem
quam Sirie regem cesareosque duces.
Invidiam fugias morsusque sororis iniquos
que rabido clarum dente caninat opus.
Nec te pretereat humane sortis origo,
terrea testa, luti gleba, miserque cinis.
Heu, caro nostra, dolor, plus flore caduca caduco,
qui parvo spatio fit puer atque senex.
Quam fragilem textrix contexit aranea telam,
tam fragili tegitur tegmine vita brevis.
Quemlibet in propriis gradibus probitatis honora,
optimitas tibi sit plus bonitate placens.
Simplicitate fruens, hic scotica fercula miscet
qui plus atque minus equat honore pari.

900 vere *m.* — 901 cum venere L[1] *l*, ganea *gl* V *venere.* — 902 atque pater *l.* — 903 puer *gl* R[2] *amor.* — 905 deremitat *gl* V *privat* « l'amore quali fa romiti maggiormente li retrae » *b*, « quali fa amore esser eremiti, piuttosto gliene trarrà fuori » *a.* — 908 crumenat *gl.* V Lu *evacuat bursam.* — 910 quae *l.* — 918 sirium Lu B; regem *gl.* V *saladinum.* — 919 sororis *gl.* V *detractionis;* inique A L[1]. — 920 rabido M[1] Lu L[2], rapido *cet.* — 928 cum bonitate Lu. — 929 scotica fercula, « minestra degli Scozii » *a, scoti consuevere fercula miscere in unam ollam l.*

Fermentat claros numerosa pecunia mores,
  que tibi si fuerit hospes, et hostis ego.
Moribus excultus, sincerus mente, modestus
  actibus, exemplum voce, rigore gravis.
Dura, modesta, probis; patiens, maturus, abundans:
  perfer, ama, tribuas; mente, vigore, manu.
Contra ventosas rabies et fulminis ictus
  plus quercu solida lenis arundo potest.
Prevalet in cunctis discreta modestia rebus,
  qua sine virtutum grande peribit opus;
nam pravis dare nil aliud quam prava fovere,
  unde probis tantum debet adesse manus.
Sint licet obscuri, ne spernas corporis artus,
  in quibus ingenium plus brevitate potest.
Lampadibus templum ditans, dulcore palatum,
  est brevis et fructu duplice servit apis.
Est brevis accipiter, volucrum tamen obruit agmen,
  et fugat elatum vipera parva bovem.
Sit tibi perpetuum spolians derisio dentes
  hostis, et insidie et dolus illud idem.
Discretus, sapiens, urbanus, largus, honorus,
  providus, intentus, strenuus esto, vigil.
Scripta legens veterum, rigidum sectare Catonem,
  morigerum Senecam, pacificumque Probum;
Dulichium, Adrastum, Ciceronem, Nestora, Titum:
  pectore, consilio, more, loquendo, manu.
Indue virtutum trabeam, mentemque tiranni
  exue, quere bonum, despiciasque malum.
Non Ypocras, non ipse suis Polidarius herbis,
  non (licet ingenium fundat Apollo suum)
omnia verbosis memorent medicamina linguis;
  que si temptarem singula tempus abit.
Et michi Secaneos, ubi nostra palatia, muros
  (sic stat propositum mentis) adire libet.

938 lenis M^1 V L^2 R^2, levis *cet.* — 944 bonitate M^1, probitate U. — 946 duplici A (V). — 951 sit dolus L^1 R^1. — 954 Probum *gl* R^2 R^3 *Salomonem.* — 957 tiranni M^1 V, tyrandam R^3, trutanam (A) *m*, tirannam *cet.* — 959 Podalirius *edd.*, *gl* R^3 *ille liber tractans de virtutibus herbarum et medicinis.* — 963 Sicaneos L^1, sicaneos R^1 L^2 M^2 *m*, sectaneos A, *gl* V R^2 *Secana est fluvius transiens per Parisium... et ibi multum viget studium philosophie.*

Ergo dicta tuis iungas medicamina morbis,
et quecunque vides proficienda tibi.
Litibus hostis, fraudibus hostis, criminis hostis,
et que depravant omnibus hostis eris.
Iuris amicus, honoris amicus, amicus honesti
et que iustificant rebus amicus eris.
Hec precepta libens vigili trahe morbidus aure,
que permixta simul combibe, sanus eris.
Et licet hec bona sint, multo potiora relinquo
que non sunt humeris offitiosa tuis.
Hec tibi sufficiant: non omnia possumus omnes;
tu quod habere vales suscipe, velle sine.
Argento fruitur, rutilans cui deficit aurum,
et violas carpit qui nequit ungue rosam.
Tunc iter arripiens ait: Hec, Henrice, reconde.
Et finem verbis hunc dedit illa: Vale.

O meus alter ego, probitatis alumpnus et hospes
Longe-pres, Henricum mente resume tuum.
Nulla remota via solidum partitur amorem,
et quem partitur integritate caret.
Nec mons, nec planum, nec pars spatiosa marina,
Disiungunt hos quos copulat unus amor.
Longe-pres, unde locus quod amor dimittat amorem?
Talis ab oppositis dicitur esse locus.
Ergo, ut vivat amor, concordia donat et unum
velle, duos unum mentibus esse facit.

Tuque, nec inmerito, cui nomen floris adheret,
Florenzete, tuum mente resume tuum.
Parco tibi, quia parco tuis, flos inclite, culpis,
ni tua vivifices risibus acta tuis.

979 hec brevitate reconde A. — 980 finem dictis A. — 982 Longe pres U C, Longeprēs R^1 L^2, Longēpres M^1, Longe pres A Lu V L^1 R^2, Logne prēs R^3; resumme U A, suscipe mente tuum *edd.* — 987 *om* M^1; dimictit R^1 L^2 M^2, dimittit V. — 988 ab appositis R^2 R^3, *gl* R^3 *non coniunctis amoribus.* — 992 Florentine tuum C U R^1 M^2, Florē çete tuum M^1 Lu, Floretie L^2, Florent(e) famulum A, Florentineque famulum V, Florençet famulum L^1, Florençcette statum R^2, Florentine statum *edd.*, « o fiorensetto, ricevi nella tua mente il tuo Arrigo » a, « o tu, vescovo di Fiorenza » b. — 994 viribus *d f*, tisibus *l m*.

Suscipe millenis citharam quam dirigo nervis,
  Orpheus ignota carminis arte rudis.
Inclite, cui vivo, si vivo, provide presul
  Florentine, statum scito benigne meum.
Sum passus gravia, graviora, gravissima, quarto
  passio, si velit ars, possit inesse gradu.
Ergo vale, presul; sum vester, spiritus iste
  post mortem vester, credite, vester erit.
Vivus et extinctus te semper amabo; sed esset
  viventis melior quam morientis amor.

1003 si esset C. — 1004 maior A. — 1003-4 *adiunxit* (M).

Explicit liber Henrici de Septimello M[1]. — *Explicit Elegia Henrici Samariensis* U. — *Explicit liber Elegie Henrici Septimellensis* (A)[2]. — *Explicit Elegia Henrici Septimellensis* V. — *Explicit liber Henrici Septimellensis* L[1]. — *Explicit Henricus liber* B[1]. — *Explicit Herigus* L[2]. — *Explicit liber Henrigecti* B[2]. — *Explicit Enricus* B[3].

GLOSSARIUM ATQUE INDICES.

I.

GLOSSARIUM LOCUTIONUM ET VERBORUM

poetarum aut ab optima latinitate recedentium

HUG. = HUGUCIONIS *Derivationes* (ms. Bibl. Univ. Patav. 669); JOH. = JOHANNIS DE IANUA *Catholicon* (ed. Venetiis 1483); PAP. = PAPIAE *Elementarium doct. rud.* (ed. Venetiis 1496); SS. = S. SCRIPTURA, *passim*; TH. = *Thesaurus novus latinitatis* [OSBERNI *Panormia*] (*Class. Auct. VIII*); VULG. = *vulgaris sermonis proprium*.

Absque, sine 32, 589. SS. (QUINTIL.)

abortivus, intempestivus 608; «non suo vel non recto tempore ortus» JOH.

abusus, malus usus 841. PAP.

acerbo, exacerbo 287; «*acerbo, as* quod non est in usu» HUG.

acesco 803. HOR. *Ep.* I II 54.

adversum, adversa, res adversae 158, 770. VIRG. *Aen.* IX 211.

agon, certamen 469. SS.

albeo 31. OV. *Her.* XIII 161; VIRG. *Aen.* 36.

alea, ludus 227; Fortuna 259.

aleph, heu, *allegorice* scientia 1; «aleph. apud nos *a deus* interpretatur» PAP.

amara, orum, miseriae 103, 539. SS.

ambiguus, qui varie vertitur 276. OV. *Met.* II 9.

amena, orum, res secundae 146, amabilia 870; «ab *amo* secundum Varronem *amenus* . . . quod solum amorem praestet et ad se amandum alliciat» TH.; *Apud* PAP., HUG. et JOH. *fere idem.*

amenus, amabilis 504, iucundus 843. PAP.

amico, as, amicum facio 878. JOH.

angustia, infelicitas, 159, 177. SS.

antiphrasis, ironia 11; «sermo e contrario intelligendus» PAP. «sermo signans contraria dicta» JOH.

arbitrio loqui, contra rationem loqui 873.

arripio iter 979 VIRG. *Aen.* XI 531.

archiloqua vox, principis poetarum (sc. *Virgilii*) sententia 592.

archivolans, avium regina, aquila, 435.

ars, proprietas 868; *antonom.* ars grammatica, 1000.

auctor [sagittae] 292. VIRG. *Aen.* IX 748.

aures asini fingo, *sc.* manibus in irrisionem 14. VULG.

Barbam (in) cado, detrimento et derisioni sum 404. VULG.

barbarus, qui nec ad graecam, nec ad hebraeam nec ad latinam gentem pertinet 307.

blandifer, benignus 259.

blanditor, assentator 883.

brevitas, brevitas corporis 944.

brutesco, bruto similis fio 526. LACT. *Div. Inst.* II 5.

Cadmus, serpens 221.
calvus, vir sapiens et callidus 314; « qui quadammodo decipit videntes propter galerum suum vel aliquo coopertorio ... et a *calvo* dicitur ,*cavillo, as*». Joh.
camena, carmen 303. Hor. Ov.
canem fingo, in derisionem linguam profero ut canis 14. Vulg.
canino, mordeo 920. Vulg.
canticum, vulgi carmen probrosum 9. *Thr.* 314; *Ezech.* 33, 31.
carmen, avium cantus 222. Virg. Ov.
carnalis, qui ad vitam corporis pertinet 745. SS.
caro, hominis corpus 271. SS.
celicus, caelestis 706. Hug. Joh.
cesareus, imperatorius 918.
ciragег, qui chiragra laborat 821, 822.
christicolae, christianus, miles Crucis 898.
ciconia concutit a tergo rostrum, actus irrisionis ciconiam simulantis, 13. Vulg.
circa, *praep.* de 287.
circino, in gyrum fero 302. Ov. *Met.* 721.
citra, *praep.* extra 711.
claviger, claves gerens, dives. Ov. *Fast.* I 228.
clamis grisea, vestis pellicea grisei (cfr. griseus) pellibus confecta 479.
clericus, ad Ecclesiae clerum pertinens 351; homo litteratus 840.
cliens, famulus 197, 829; « a colendo patronum dictus » Pap.
climata, septem zonae quibus geographi terram diviserunt 306. Pap.
cocus, coquens, excrucians 725.
codrior, miserior 163.
colaphus, alapa 202. SS.
colloquium, eloquium 510.
confero aliquid alicui, comparo aliquid cum aliqua re alicuius, 96.
confido in aliqua re, 805. SS.
concio templi, coetus clericorum 15.
compatior alicuius, misereor 514. SS.
coniugium, coniunctio 756.
conversa vice, e contrario 746.
converso (e), e contrario 620.
coquo excrucio 182. Virg. *Aen.* VII 345.
crebra, saepe 182, 340.
crisma, unctio Sacramentorum 703.
cro cro, *interiectio irrisionis* 423. Vulg.
crumeno me, repleo me pecuniis 908.
cuneus, *gener.* acies, 669.
cupidineus, poeta de amore (Naso) 551.

Debilis, minimi pretii 538. Vulg.
decuplo, decies multiplico 758.
delitiosus, blanditiis plenus 728. Joh.
delusor, ludificator 809.
denigro, laudem adimo 541, 913. Joh.
deremito, animum a pietate erga Deum deterreo 905.
derisio, derisus 949.
devio, de via decedo 723; «exorbito». Pap.
discretus, prudens 847, 939.
discretum, i, discretio 848.
doceo, ostendo 375; « monstrare, instruere » Pap.
doleo super, doleo de 525. *Eccli.* XIII 6.
dolesco, doleo 519.
dulceo, dulcesco 31.
dulcisonus, dulciter sonans 886.
duplicior 332; « duplex, duplicior, duplicissimus » Joh.

Econtra, contra 625.
elatus (bos), magni corporis 948; « elevatus, superbus » PAP., JOH.
empicus, qui empyemate laborat 866; PAP., JOH.
eodem, ibidem 473.
eques, ludi scacchici persona 313. 168.
exorbito, a recta via aberro 517. PAP.
excursus (lacrimarum), fluxus

Facto (de), revera 397. VULG.
factor, Deus 741. SS.
factura, creatura 270, homo 741. SS.
falera 884, « est ornamentum equorum... invenitur pro superbia et inani iactatione» HUG.; PERS. III, 27.
falsiloquus, falso loquens 724. *Job* 16, 9.
famen, loquela 831; « a for .. hoc famen, nis » TH. 215. PAP. JOH.
fateor, manifesto 73. Ov. *Trist.* II IX 16.
feriça ludi scacchici persona; antiqua gallica lingua *fierce* (*vierge*), 648.
fero, facio 51; aufero 52. SS.
fere 900 « proprie, pene » PAP.
fertilitas querula, querelarum copia 116.
festivo, festivum facio 845. JOH.
figuro, fingo, ostendo 71. JOH.
fingo, simulo 727.
firmiter sum, immotus sto 208. SS.
fisica, medicina 862; « scientia de naturis » JOH.
flagellum, calamitas 286. SS.
formo, effingo 35.
freneticus, qui insania laborat. 865. MART. XI 28.
fructifico, fructus do 261. SS.
furnus, thermae 15: furni grex, homines negotiis vacui. HOR. *Sat.* I, 4, 36 s.
furca, bivium 591.

Gehenna, supplicia inferna. 182. SS.
gladius (carnalis... spiritualis), potestas, ius. 745. *Dig.* I 18, 16, 8.
gradus, *sc.* comparationis apud grammaticos 1000.
grandifico, magnum facio 914.
gravitas capitis, infirmitas mentis 567.
griseus. *adiect.* a griseum *sc.* pellis cuiusdam animalis, sciuri genere, ant. gallica lingua *gris* 479.
gyro, volvo 496. JOH.

Heleno, pulchrum facio 505.
herbicolor, viridis 478.
heremito, solitudines captare cogo 905.
hinc, hac re *passim.*
hinnus, laus 791, 889.
hinnifico, laudes dico 895.
honorus, honorificus 951. OVID.
honustus, molestus 677.
hospes, amicus 932.

Ieiunus alicuius rei, expers 167.
ignare, inscienter 543.
ignavus « inefficax, piger, insipiens, stultus » 377. JOH.
immunis necis, indignus nece 556. Ov. *Her.* XIV 8.
imperialis, domina, augusta (Fortuna) 364.
in... furo (*cum tmesi*) furo, 409.
impropero, probrum obiicio, 386, 451. SS.
inane ius, iudicium nullo argumento comprobatum 549.
ingluvies, voracitas 138. HOR. *Serm.* I II 7.
inde, ea re 562.
incaustrum, atramentum 236; « encaustum vel incuustum » JOH.
industria 617 « doctrina, studium, ab indulgere, id est operam dare studio » PAP.

infelix, sine effectu 47, 372. HOR. *Serm.* I I 90.

innumerandus, innumerus 231.

inops mentis, expers rationis 126. Ov.

ipocrita, simulator virtutis et pietatis 839. SS.

iudicio stare, **iudicio sistere**, sistere in iudicium. 491, 497.

Labrusca, vitis silvestris 579. VIRG. *Ecl.* V 7.

lacerus, lacer discerptus 93. PAP.

lanceo, lancea ferio 185. TERTULL. *Adv. Iud.* 9. IOH.

lātum, firmitudo 410. *Ps.* 118, 96.

leccatrix, gulosa 139. JOH.

licite *adv.* iure 349, 357. *Dig.* 30, 111.

ligatio, (**verborum**) coniunctio 749.

lingua dolosa 295. SS.

linguosus, loquax 831. SS. JOH.

littera prisca, antiqui scriptores 428.

loculus satur, loculi; «loculus est bursa» JOH. 674.

loquor aliquem, extollo 149. MART. V 25, 5.

luciditas, perspicuitas 684.

ludo, *metaph.* pugno 312.

lumen, *sc.* oculorum 504. SS.

lusor, homo facetus 809.

Magis, potius 382, 791; **magis esse**, pluris esse 875.

magnas, princeps civitatis 915, «magnates, nobiles praeclari, potentes» PAP.

maledico, execror 197. SS.

maledictus, sacer et scelestus 200, 241 ss. SS.

medela, medicinae remedium 521, 860 IUSTIN. 11, 1, 7.

mel, 33, 34, 428; **mellea** 28, 319, dulcedo, felicitas.

melos, cantus 672. HOR. *Carm.* III, IV, 2.

mentior, *cum duobus acc.* falso appello 619.

mercenaria vitae, quae vitam mercatur 719.

metrosus profluentibus versibus poeta 551.

metrum, cantilena 466.

miles, eques, «cavaliere» 351; 731: **miles rudis**, *contraponitur* **clericus edoctus**.

milleni, mille 995.

minoro, minorem facio 913. *Ps.* 88, 46.

mis, mei *obsoletum* 514. QUINT. VIII, 3; PRISC. *Inst.* XII I 1 [KEIL. G. L. II 578].

miser, inferior viribus 65 s. «miser dictus proprie qui omnem felicitatem omiserit» PAP.

moderni, homines huius aetatis 655. CASSIOD. *Var.* IV, 51.

modis omnibus, omnino 40. VULG.

molendino, volvo 268. VULG.

molendinum, pistrinum 15. VULG. JOH.

morbidus, morbo infectus 522. PLIN. VIII, 40, 1 «infirmus vel insanus... et dicitur a morte quia inferat mortem» JOH. C.

moriger, morum praeceptor 547, 954.

mortifico, occido 46. SS.

multimodus, varius 178, 216.

multiplico semen 584. *Cor.* II 9, 10.

multivagus, multum vagans 178, 216.

murmur, obtrectatio 893. SS.

Neronizo, saevio 20.

neronior, crudelior 255.

nichil est quod, fieri non potest ut 207.

nictimene 439 «noctua, hec etiam dicitur nictimene» JOH.

nigro, nigrum facio 19. [STAT. *Silv.* II, 6, 83]. PAP. JOH.

nimis, nimium *ante adiect. posit.*, maxime, 179, 405, 473, 602, 616, 887. SS.

nimius, nimis propinquus 105.

nota, irrisio 442.

nugo, irrideo 116. HUG. PAP. *dep.*: «*nugor-aris* nugas facere vel dicere; *nugae* beffa vel derisio».

numerosa pecunia, multa pecunia 931.

Obaudio 345; «male audire vel contra, invenitur etiam quandoque pro obedio sed raro» HUG.

obruo, armis opprimo 947. VIRG. *Aen.* II 424.

obscurus, contemnendus 943.

oceanus, infinita multitudo 740.

occo 362 «secare, scindere, truncare» JOH.

oliva, oleum *meton.* pax, patientia 546; 787 «arbor ipsa pacis insignis» PAP.

omine tenui pendeo, tenui filo pendeo 654.

omnificus, omnia faciens 720.

omnimodus, cuiusquegeneris 456. SS.

orbatus, orbatio 95.

orbiculo, vagor 908.

oppositus, contrarius 544, 560.

optimitas, optimum 928.

Pacifico cum aliquo 472, 484, 487; alicui 488; «pacem facere vel concordare» JOH.

partem tueor, partis studiosus sum 375.

passio, dolor 1000. SS.

pauso, cesso. PLAUT. *Trin.* I, 2, 149; «requiesco» PAP.

pedes, scacchici ludi persona, *ant. gall. lingua* «peon» 313.

penso rependo 765. OV. *Trist.* III XI 49; *Met.* XIII 192.

peregrino, peregrinor, 570.

peregrinus, vagus 516.

perfidus, noxius, 80, 107, 644.

pergo, pergo iter 226; «quasi pedem rego» JOH.

perpetuo aliquem in malis, perpetuo excrucio 254.

philomeno, suaviter cano 511.

pius, iustus 722; benignus 724.

planeta, sidus errans MART. CAP. *passim.*

platea, *meton.* vulgus, 6. VULG.

platonior, sapientior Platone 587.

plumbesco, plumbum fio, 803.

plus, magis *passim.* VULG.

plus, maior 264.

plus atque minus 930. VULG.

plus misero (= plus quam miser) quam miserrimus 304. VULG.

podager, podagricus 821. CLAUD. *Epigr.* 29.

poto aliquem in aliqua re, potum alicuius rei praebeo alicui 649. *Ad Cor.* I, 12, 13; «*potare* id est potum dare . . . *potare* id est bibere» JOH.

poto lacrimas 213. *Ps.* 55, 9.

poto poculum 515.

potus salsi, lacrimae 68.

preludium, origo 683.

premio, praemio afficio 567. VULG.

pres, *summatim pro* presbiter? 982, 987; «*pres* dicitur medius vel mediator» JOH.

presul, episcopus 997. Cfr. CANGII *Glossarium.*

primatus, principatus 427. *Eccli.* 24, 10.

primitio, incipio 892.

probus, fortis in pugna 55. VULG. *italice* «prode», *gallice* «preux».

propago, progenies 324, genus 455.

propheto, praedico 20. SS.

propositum, proposita quaestio 684.

proprius, suus, ipsius 112, 730, 868, 927; meus 197.

II.

INDEX GRAMMATICUS

sermone ductis: **ānethum** 866, **cĭragra** 820, **cĭragrum** 821, **dīăbolus** 340, 816, **fronĕsin** 507, **herĕmitat - dĕrĕmitat** (Prud. *Cathem.* V, 89, *Psyc.* 331) 905, **ıcōnoma** 431, **pĕram** 837, **phrēnĕticos** 855, **phȳlosophus** 587, **scīphis** 171, **sĭlogizat** 508, **sophȳa** 601, **ȳpocrite** 839; d) *in nominibus graecis*: **Bŭcīfal** 461, **Darĭum** 653, **Dĕmostĕna** 785, **Īconium** 837, **Nīctĭmĕne** 435, **Pĭtagōrica** 589, **Sĭmŏnis** 839, **Y̆pŏcrās** 521, 959.

vocalis brevis in caesura producitur: 307, 369, 407, 507, 513, 537, 777, 783, 797, 881, 983, 998 (*exam.*): 2, 69, 86, 164, 200, 252, 452, 474, 754, 774, 880, 930, 932, 984 (*pentam.*)

vocalis brevis in arsi producitur: 509, 511.

caesura in exam. semiquinaria regnat; rarior semiseptenaria cum semiternaria: 109, 351, 643, 721, 743, 767, 771, 773, 791, 795, 807, 811.

caesura enormis aut neglecta: 549, 565, 645, 813, 897, 967, 969.

synaloephe frequentior: 25, 143, 280, 389, 500, 502, 563, 578, 581, 615, 617, 620, 680, 703, 754.

synaeresis: **iaspis** 478, **fugiendo** 780, **mansuesce** 811, **suadebit** 903, **hee** 863.

nullus hyatus (*cfr.* 200, 747).

versus « clausulati » et « reciproci »: 695 s., 697 s., 725 s., 731 s., 935 s., 955 s.

nullus versus leoninus.

minus, paucior 791. Vulg.

multus, *sing. pro plur.*: **multa ciconia** 13; **multum morbum, multa medela** 860. Ov. *Am.* III V 4.

nec, neu 843.

nimis, *pro subst.* immoderatio 784.

non *cum coniunct. hortationis* 403, 895: *absolute* 50.

num, nonne 384.

numquid, num 285, 345, 417, 440, 685.

numeralia distributiva *pro cardin.*: **septeni** 81, 86; **trinus** 160, **milleni** 995.

plus *saepe adiectivo posit. praemittitur e. g.* 229, 264, 923 *passim.* Vulg.

pro, propter 118, 323.

quam *comparationis sequente coniunct. ubi indicativum expectes*: 436, 630, 850.

quisquis *sequente coniunctivo* 425.

quod, ut, *coniunctio consecutiva sequente coniunctivo* 165, 233, 236; *sequente indicativo* 233, 237.

quod, *sequente indicativo pro propositione infinitiva*: **vides quod nectit** 749, **scio quod amas** 900.

periodus condicionalis *temporibus enormis* (Vulg.): **si detur... fores** 298, **si possum... taceas... vel foret** 395, **si porexero extollor** 363 s., **si clausero... mordeor** 365 s., **ni scias... staret** 495, **si scires... velis** 634, **velim... si non esset** 677, **si foret.. cedet** 717, **si tentarem... abit** 962, **si velit possit** (= si vellet posset) 1000.

substantivum *pro adiectivo*: **cocus** 725. (*Cfr.* **Ysengrimus** I 1006, II 42; VII 587, ed. Voigt).

sui, sibi, se, suus, eius, ei *et cet.* 10, 204, 213, 363, 646.

sum *praed. cum adv.* 208. SS.

traiectiones *audaces*: **ultra... modum** 604; **in... lutum** 688; **in... foro** 702.

vel, an 126, 340.

III.

INDEX NOMINUM ET RERUM

IV.
INDEX AUCTORUM

v. 166 — Ov. *Fast.* I 218.
vv. 221 s. — Virg. *Geor.* IV 511 ss.
vv. 225 s. — Hor. *Ep.* I ii 42.
vv. 227 s. — Ov. *Ars am.* I 451. *A. P.* 17.
vv. 233 ss. — Ov. *Trist.* V i ss.
vv. 239 s. — Iob III 3 ss.
vv. 251 s. — Ov. *Met.* II 584; IV v 43; *Her.* V 39; *Am.* II i 26.
vv. 253, 383, 445, 635 — Ov. *Trist.* V viii 6 ss. Claud. *B. Goth.* 631.
v. 263 — *Sap.* II 1.
vv. 267 s. — Virg. *Ecl.* IX 5.
v. 285 — *Ps.* 51, 6; 108, 3; 119, 2.
v. 287 — Virg. *Ecl.* V 28.
v. 296 — Isai. XIV 13.
vv. 312 s. — Ps. - Ov. *De Vetula* I.
v. 329 — Ov. *Met.* III 396.
v. 333 — Hor. *Ep.* I iv 14.
vv. 350 s. — Hor. *Serm.* I i 1 ss.
v. 381 — Hor. *Ep.* II i 53.
v. 398 — Hor. *Serm.* I v 12.
v. 416 — Matth. xxvi 52.
v. 421 — Hor. *Ep.* I xiv 27. *Carm.* III vi 38.
v. 452 — Cat. *Dist.* II 26.
v. 458 — Iuven. *Sat.* viii 20.
v. 460 — Hor. *Serm.* I i 54 s. Virg. *Aen.* IV 175.
vv. 501 ss. — Boet. *Cons. Phil.* I pr. i
vv. 515 s. — Boet. *Cons. Phil.* I carm. ii.
v. 523 — Hor. *Ep.* II ii 137.
vv. 527, 900 — Ov. *Trist.* III xi 55; *Fast.* II 101.
v. 537 — Hor. *Ep.* I x 24.
v. 553 — Virg. *Aen.* IV 550 s.
v. 570 — Ov. *Trist.* I viii 5.
vv. 573 s. — Boet. *Cons. Phil.* I pr. ii.
v. 575 — Virg. *Ecl.* III 11.
v. 584 — Isai. X 22.
v. 591 — Virg. *Aen.* VI 526.
v. 593 — Hor. *Serm.* I ix 59 s.
v. 595 — Pauli *Ad Cor.* I ix 22.
v. 600 — Iob I 21.
v. 601 — Hor. *Serm.* IX 52.
v. 606 — Ov. *Ex P.* II ii 34. Virg. *Ecl.* V 16.
v. 631 — Virg. *Aen.* I 342.
vv. 635 s. — Caton. *Dist.* 23.
v. 637 — Hor. *Carm.* II x 9 ss.
v. 647 — Virg. *Aen.* VIII 653.
vv. 671 s. — Juven. *Sat.* X 17. Boet. *Cons.* II pr. v.
v. 678 — Ov. *Met.* I 128.
vv. 685 ss. — Ov. *Met.* I 89 ss. 114 ss.
v. 706 — Matth. XXI 13.
v. 747 — Virg. *Aen.* VII 446; XI 424.
v. 753 — Virg. *Geor.* IV 190. Boet. *Cons.* I pr. iii.
v. 763 — Hor. *Ep.* I iv 14.
v. 771 — Caton. *Dist.* 26.
vv. 784 s. — Hor. *Serm.* I i 105 ss. *Ep.* II i 194.
v. 787 — Ov. *Met.* I 112.
v. 799 — Hor. *Serm.* I i 66.
v. 807 — Hor. *Serm.* I i 49 s.
v. 812 — Hor. *Serm.* I iv 71 s.
vv. 828 s. — Caton. *Dist.* I 37.
v. 853 — Luc. *Phars.* II 389.
v. 883 — Caton. *Dist.* I 27.
v. 891 — Hor. *A. P.* 1 ss. (Phaed. I 3).
v. 895 — *Prov.* xxvii 2.
v. 906 — Ov. *Am.* II iv 32.
v. 909 — Matth. xxvi 47; 55.
v. 923 — *Ps.* 102, 15.
v. 925 — Ov. *Met.* VI 145. Iob VII 6.
vv. 937 s. — Hor. *Carm.* II x 9 ss.
vv. 943 s. — Caton. *Dist.* II 9.
v. 978 — Virg. *Geor.* IV 134; *Ecl.* II 47.

— Pretium it. lib. 20 —